



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio XXVI. De suspensione ab officio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

DISPUTATIO XXVI,

De Suspensione ab officio, quid sit, & quos effectus habeat.

DE Ratione suspensionis in genere, vel simpliciter latae, nihil dicere necesse est, quia explicata suspensione ab officio, & a beneficio, cetera constant; harum autem rationes, declaratis earum effectibus, cognoscuntur: & ideo in hac & sequenti disputatione hoc praestabimus: breuiter enim id fieri potest, quoniam in his, quae de excommunicatione diximus, fere omnia, quae huc spectant, tractata sunt, eo quod excommunicatio maior (vt dixi) suspensionem ab officio, & beneficio quasi materialiter includit. Quoniam vero diximus suspensionem ab officio & totalem, & partialem esse, prius effectus totalis suspensionis declarabimus: postea de partiali facile dicemus.

SECTIO I.

Virum Suspendio ab officio simpliciter lata priuaret omni vfu ordinis & iurisdictionis spiritualis.

DVAE Regulae generales videntur in hac materia certae. Prima est, Suspensionem hanc non priuare hominem ipso modo officio, a quo illum suspendit: neque tollere priuati illi de ipsa potestate quasi radicalem, sed impedire tantum vsum eius. Hoc est constans apud omnes. Primo ex vi ipsius nominis suspensionis, quod non significat ablationem, seu destructionem, sed veluti detentionem. Secundo a simili ex suspensione a beneficio, quae non auferit beneficium ipsum, sed vsum eius, vt infra ostendemus: ergo idem cum proportionem est in suspensione ab officio. Tertiò inductione quadam: nam suspensio ab officio, quatenus ad ordinem spectat, non priuat ipso ordine, sed tantum vfu eius: quia nec priuat charactere ipso, vt secundum fidem certum est: nec perpetuo excludit clericum ab eo munere eo modo, quo per Ecclesiam deponi potest: imo de ratione suspensionis est, vt non includat positivam perpetuitatem. Quatenus vero haec suspensio tollit exercitium iurisdictionis, si talis iurisdicção coniuncta sit alicui dignitati, non tollit dignitatem ipsam: nam, licet Episcopus suspendatur, non priuat Episcopatu; & sic de aliis. Si vero talis iurisdicção, sit ex commissione, vel delegatione, vt in Vicario Episcopi, in Legato, vel legato Papae: in sacerdote, qui solum ex privilegio, seu concessione habet iurisdictionem, in foro Poenitentiae, videtur res dubia. Nam, cum hi omnes ab officio suspenduntur, iurisdictione si bi concessa priuantur, ergo priuantur officio, cum tale officium in sola concessione iurisdictionis consistat. Nec videtur fieri satis dicendo, priuari vfu iurisdictionis: nam haec duo vix possunt in iurisdictione

Temp. ordin. in 6. Similiter inferiores clerici interdum, si sacerdotes sint, suspenduntur ab officio sacerdotali absolute, vt in cap. Sane 2. de Offic. Delegat. & capite secundo, eod. tit. in 6. interdum vero solum a celebratione Missae, aliquando vero solum a munere confitendi, & sic de aliis. Atque eodem modo fieri contingit in suspensione a iurisdictione, nam in Clementina 2. de Aetat. & qualitat. delinquens priuatur voce in Capitulo, quae ad iurisdictionem reuocatur: aliquando vero suspensio fertur tantum ad collationem beneficiorum cap. graue nimis de praebendis, & cap. vnico, Sede vacante in 6. & ita de aliis actibus. Item aliquando suspenditur quis simul ab vfu partiali iurisdictionis, & ordinis, vt in dict. cap. 2. de Translat. Episcop. a consecratione, & confirmatione Episcop. ex quibus, consecratio actus ordinis est, confirmatio iurisdictionis. Idem inuenire licet in suspensione a beneficio. Aliquando enim est totalis in sua specie, vt cum absolute fertur suspensio a beneficio, vel beneficiis: aliquando partialis, vt cum fertur suspensio tantum a quotidianis distributionibus, vel dimidia parte fructuum, &c. huiusmodi enim formulae seu modi ferendi hanc suspensionem frequentes sunt in iure, cap. Nihil, de Elect. cap. Generali, eod. tit. in 6. Clement. 2. de Aetate & qualitat. & aliis; quas omnes formas suspensionum in sequentibus explicabimus.

Ex hac ergo suspensionum varietate colligere in primis possumus, suspensiones totales ab officio, vel a beneficio in suis ordinibus maiores recte appellari; partiales tamen respectu earum posse minores vocari: & ita posset explicari distinctio data. Tamen quia inter partiales quaedam sunt, quae, licet respectu totalium sint minores, tamen simpliciter sunt magna & graues vt per se notum est, ideo hoc etiam sensu non placet prior distinctio; quia illo modo nulla est poena, quae non possit in maiorem, & minorem diuidi; &c. quae dicitur minor respectu vnus, erit maior respectu alterius. Vt ergo illa diuisio alicuius momenti sit, termini illi absolute, & non respectiue, tantum accipi debent, sicut accipiuntur in excommunicatione maiori, & minori.

Et ideo vterius considerare oportet non esse in iure censuram aliquam suspensionis habentem definitos effectus, & quasi certam essentiam, & definitionem intra cuius limites suspensio minor dicatur, & omnis alia maior sit, sicut contingit in excommunicatione maiori, & minori: Quapropter in hoc sensu fatendum est, diuisionem hanc non ita habere locum in suspensione, sicut in excommunicatione. Nihilominus tamen vterius considerari potest, in tota latitudine suspensionum partialium aliquas esse quae prudenti estimatione lenes poenae censeri debent, vel quia sunt de minimis functionibus, aut prouentibus, vel quia pro tempore breui imponuntur. Sicut olim excommunicatio minor non videbatur habuisse eam formam certam quam nunc habet: sed multiplices erant modi priuandi vfu sacramentorum, & tunc non poterat excommunicatio minor distinguí a maiore ex forma praescripta a iure, sed ex poenae grauitate, & lenitate, prudenti arbitrio: sic ergo nunc de suspensione dicere possumus. Estque non contemnenda regula, vt omnis suspensio, quae non nisi propter peccatum mortale ferri potest, maior dicatur; illa vero minor, ad quam incurrendam venialis culpa possit sufficere: quod enim dicitur illi duo gradus suspensionum, infra constabit: quod vero illis recte accommodentur illa nomina, maiori, & minori, ex terminis ipsis, & ex proportionem ad culpas videtur per se satis manifestum. In hoc ergo sensu potest diuisio admitti, quae ab aliquibus auctoribus tradita est, quamuis a nullo fuerit in hoc sensu declarata.

atione distingui, quia non priuatur vsu solum quoad debitum, alias, si de facto sic suspensus exerceret iurisdictionem, & factum teneret, licet male fieret, quod falsum est: priuatur ergo vtu quoad ipsum ius, id est, priuatur iure, & potestate vtendi iurisdictione: ergo priuatur iurisdictione ipsa, & consequenter etiam officio, quod solum in tali iurisdictione consistit.

Resoluit. Nihilominus respondetur etiam tunc non priuari aliquem officio propter solum suspensionem, sed vsu eius. Potestque hic non incommode applicari distinctio de iurisdictione in habitu, vel in actu qua Nauarrus & alij in materia de confessione vtuntur: Dicemusque, suspensionem hanc priuare iurisdictione in actu, non in habitu, officium autem hoc consistere in iurisdictione in habitu, & non tantum in actu, ac propterea suspensionem non priuare hominem tali officio, sed vsu eius. Declaratur, quia tale officium consistit in deputatione talis personae ad tale ministerium per potestatem superioris facta: hæc ergo deputatio integra manet, nec reuocatur statim, propterea quod talis persona suspendatur, sed manet impedita, ne exerceri possit, & ideo dicitur manere in habitu, quasi in radice, tolli vero in actu, sed quoad vsum. Confirmatur, quia ablata suspensione, idem officium perseuerat, & exerceri potest, absque noua concessione: ergo signum est prius non fuisse reuocatum, sed solum impeditum quoad vsum. Nec enim dici potest per absolutionem suspensionis iterum officium concedi, quia sepe potest a suspensione absolueri, qui non posset tale officium committere. Quæ ratio ad quodlibet officium Ecclesiasticum applicari potest. Imo in officiis etiam secularibus constat, licet suspendatur aliquis ab officio non statim illo priuari: suspensio ergo ab officio vi sua non priuat officio ipso.

Suspensio ab officio simpliciter lata, quem effectum habeat.

Conclusio. Secunda Regula est, Suspendio ab officio absolute prolata priuat omni vsu ordinis, & iurisdictionis, ac muneris Ecclesiastici, quantum persona capax est. Hanc vltimam particulam addo, quia, cū suspensio in priuatione morali consistat, non potest habere locum nisi in subiecto capaci: hoc enim est de ratione priuationis, & ideo nemo potest suspendi ab eo casu, cuius potestatem non habet, satis enim ille per se suspensus est, vel potius negatus tali vsu: ac propterea dicebamus supra censuram hanc clericorum propriam esse, quia illorum sunt propria Ecclesiastica officia, à quibus hæc censura suspendit. Sicut ergo laicus, quia officium Ecclesiasticum non habet, suspendi non potest; ita, si clericus ordinem habet & non iurisdictionem, quamvis simpliciter ab officio suspendatur, priuabitur vsu ordinis, non vero iurisdictionis, & à conuerso, si clericus solius primæ consue iurisdictionem habet Ecclesiasticam, & simpliciter ab officio suspendatur, priuabitur vsu iurisdictionis, non vero ordinis. Neque erit inconueniens, quod eadem censura suspensio in plures lata, in vno habeat plures effectus, etiam si fortasse eadem sit culpa, quia illud est per accidens ex parte subiecti, & ad iudicem pertinebit arbitrio suo in illo penam augere alio modo: quo ille sit capax, si expediens fuerit. Addi vero potest, tadiculiter saltem semper impedire hanc suspensionem vsu omnium ordinum; vt in sequentibus magis declarabimus.

Suadetur conclusio. D. X. hom. Innocent. Abbas. Regula ergo sic exposita communis est ex Dico Thoma quaestione vigesima prima. Additionum, articulo tertio, Innocentio, Abbate, & aliis capite, Cum dilectus, de Consuetudinib. & Summis. Et

probat, quia suspensio ab officio, ex vi verborum non coarctatur ad aliquam officij Ecclesiastici partem: ergo comprehendit totum. Antecedens patet, quia verbum illud, *Ab officio*, indifferens est, & si eius adæquatum significatum sumatur vt totum quoddam integrale, illud constat ex variis potestatibus ad plures actus Ecclesiasticæ functionis, tanquam ex partibus: si vero sumatur vt totum vniuersale, comprehendit sub se per modum specierum varia officia ordinis, vel iurisdictionis. Atque hinc probatur consequentia: nam, qui absolute prohibet totum, prohibet omnes partes eius, & qui negat genus, negat omnes species eius: sed suspensio ab officio includit priuationem, vel prohibitionem executionis officij absolute sumpti per modum cuiusdam totius seu cuiusdam generis: ergo.

Vnde inferitur eum, qui ab executione officij suspensus est, si, durante suspensione, se ingesserit diuinis, irregularem fieri, ca. 1. de Sent. & re iudic. in 6. vbi ex discursu textus constat, per verba illa, *Ab executione officij*, principaliter ibi ferri suspensionem ab vsu iurisdictionis, & tamen ex subiuncta poena irregularitatis constat, etiam includi sub illis verbis suspensionem ab vsu ordinum: nam, vt infra dicemus, suspensus non incurrit irregularitatem, nisi quando suspensus ab ordine, diuina celebrat: quod etiam satis significant illa verba: *Si ingressus se diuinis*: quæ magis explicantur in cap. primo vers. *Caneant*, de Senten. excommunic. in 6. vbi. *Si contigerit eos sic suspensos* (scilicet à diuinis officiis) *diuina officia ex quibus prius irregularitatem non effugient iuxta canonicas sanctiones*. Diuinis enim se ingerere in præsentia materia, non est diuina recipere: nam propter hanc causam non incurrit irregularitas, arg. cap. vlt. de Cler. excommunic. minist. & late dictum est supra de censuris in communi: est ergo diuina facere: at vero diuina facere potestatis ordinis est, ergo suspensio ab officio suspensionem à iurisdictione, & ordine comprehendit. Quod etiam insinuat in cap. 2. de Cleric. excommunic. minist.

Contra hanc vero assertionem sentit Glossa in cap. Audimus, 24. quaestione prima. Ait enim, per hæc verb. *suspensionis ab officio*, solum significari suspensionem ab ordine, non vero à iurisdictione, vel alia Ecclesiastica administratione, ita vt illa particula, *ab officio*, non simpliciter totum genus officij Ecclesiastici comprehendat, sed quasi per antonomasiam officium diuinum, quale est omne officium ordinis, significet. Huius autem opinionis illius particula, *ab officio*, nullum offert fundamentum, nec textum quo satis ostendat hunc esse modum loquendi, aut sensum in iure vsitatum, nam licet in dict. cap. 1. de Re iudicata in 6. supponatur, suspensum ab executione officij esse suspensum à diuinis officiis: non tamen inde colligi potest, esse à solis illis, neque ex alio textu id probari potest. Imo, cum illa suspensio feratur contra iudicem, qui contra conscientiam, & iustitiam in grauamen alterius partis aliquid in iudicio fecerit, manifestum videtur, vt poena culpæ respondeat, ac proportionata sit, illam suspensionem primo ac per se ferri de officio iudicandi: nam in eo, in quo quis deliquit, puniri maxime debet.

Alij etiam dixerunt per verbum, *Ab officio*: non suspendi aliquem à toto officio Ecclesiastico, sed ab aliqua parte eius, non tamen semper ab eadem determinate, quia vox id non admittit, sed ex subiecta materia legis, seu ex causa propter quam talis suspensio imponitur; ita vt pro diuersitate materie, vel cause diuersa sit determinatio, ex illo principio quod poena accommodatur culpæ. Vt verbigratia, in c. 2. de Solutionibus, prohibetur, ne quis audeat Ecclesiam sibi commissam alienis debitis grauare, luit, vel

vel obligare, & subditur, Si quis contra præsumpseris, ab administratione temporalis, & spiritualis, nouerit se suspensum, nam ex illa causa videtur illa suspensio solū esse ab administratione illius Ecclesiæ, quam quis grauauit, nam in illa administratione quis punitur, in qua deliquit: argumento Extrauag. Ambitiose, de Reb. Eccl. non alien. inter communes ibi: A regimine & administratione sua Ecclesiæ, vel Monasterii, cui præfuit in temporalibus, & spiritualibus, sit eo ipso suspensus. Sed hoc impugnat satis ex dict. c. primo de Sent. & re iudic. in 6. nam, iuxta prædictam expositionem, cum ibi fertur suspensio ab executione officij, limitanda esset ad officium iudicandi, & ad vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro cōtentioso: nam fertur in eos, qui tali iurisdictione in iudiciis male vtiuntur. At constat, vt supra notauimus, esse etiam ab ordine, ergo non est vera illa regula. Et ratio est, quia licet culpa versetur tantum circa vnā materiam, mereri potest pœnam generalem, & quæ plures materias complectatur. Nam per excommunicationem maiorem aliquis priuatur multis bonis, quāuis fortasse in vno tantum deliquerit. Immo sæpe materia suspensionis talis est, vt ex illa sumi non possit vlla determinatio, vt si quis propter adulterium, vel aliud simile crimen ab officio suspendatur: ergo quāuis propter prauum vsu alicuius officij suspensio feratur absolute ab officio, non sequitur determinari ad vsu illius officij.

Sunt tamen verba legis attente consideranda, vt intelligatur, an sententia, seu suspensio ita referatur ad facti narrationem, vt inde determinetur, vt si dicatur a tali officio, vel quid simile: sicut in illa Extrauagant. Ambitiose, dicitur, Sui Ecclesiæ, vel Monasterii cui præfuit, &c. Item est ponderandum, an addatur verbum limitans ex sua significatione ipsum officium, vt in dictis iuribus cum ponitur suspensio, ab administratione in spiritualibus, & temporalibus, plane fit limitatio, nec fit suspensio à toto officio, non enim ex vi illorum verborum suspenditur quis à celebratione Missæ, quæ non solet dici administratione, sed suspenditur ab his, quæ iurisdictionem, aut quasi iurisdictionem, seu ius aliquid administrandi requirunt. Quando autem omnibus verbis recte perpenſis, nulla sit expressa determinatio, sed simpliciter ab officio fit suspensio: Tūc totalis est tam ab omni ordine, quam ab omni iurisdictione, & Ecclesiastica administratione. Addendum vero hic est, hanc suspensionem ab officio, licet non priuet officio iam obtento vt dixi, impedire tamen, ne aliud simile suscipi possit. Argum. cap. vltim. de Cler. excomm. minist. & omnium, quæ de simili effectu excommunicationis diximus: nam quoad eandem est ratio de suspensione ex sententia omnium & ex iuribus ibi citatis, quod in sequentibus amplius exponemus.

Ad qua loca extendatur suspensio ab officio simpliciter lata.

A Tque hinc colligitur quod diximus de suspensione ab officio respectu partium eius intelligendum pari modo esse, & propter eandem rationem respectu circumstantiarum eius, præsertim loci & temporis, quæ in his rebus moralibus maxime considerantur. Itaque, si suspensio ab officio fertur absque loci determinatione, vniuersaliter pro quolibet loco ferri intelligenda est: sicut enim excommunicatus in vno loco, est excommunicatus vbiq̃ue, ita suspensus in vno loco, si simpliciter suspensus sit, vbiq̃ue erit suspensus. Cum enim dicitur, in vno loco, (vt illa communis locutio semel explicatur) non est intelligendum obiectiue sed effectiue,

id est, ab Episcopo, seu prælato vnius loci, tamen censura, non respicit illum tantum locū, sed quemlibet, & sic dicemus obiectiue respicere omnem locum, vt recte docuit Gloss. in cap. Pastoralis, §. Verum, Gloss. verb. Subtrahuntur, de Appellat. & ibi Abbas num. 20. & Decius num. 9. Et probatur, quia certum videtur posse prælatum, seu Episcopum subditum suspendere nealicubi celebret, vel confessiones audiat, &c. ergo si absolute suspendit ab officio, & nullam loci limitationem adhibet, vbiq̃ue suspendere censetur, quia verba simpliciter prolata hoc præ se ferunt: & nonnulla est ratio adhibendi determinationem ad hunc locum, potius quam ad alium. Antecedens patet, tum à simili de excommunicatione, tum etiam, quia potest tale esse delictum vt mereatur totam hanc suspensionem, & prohibitionem, tum præterea, quia potest quis esse indignus tali administratione pro quolibet loco, vel quia est ineptus, vel infamis aut iniustus: ergo ad bonum Ecclesiæ regimen necessarium est, vt possint prælati simpliciter, & pro omni loco huiusmodi homines suspendere. Dices, Nullus, qui limitatam iurisdictionem habet, potest extra illam operari, c. 2. de Constitutionib. in 6. Respondetur, directe, & per communem legem, vel statutum, non operari quempiā extra territorium suum, de qua re sermo est in dicto cap. 2. & eodem sensu dicitur in l. 2. de iurisdictione omni. iudic. extra territorium ius dicendi impune non pareri: Tamen per particularia præcepta, quæ immediate respiciunt personas, bene potest aliquis præcipiendo, aut iudicando intra territorium, obiectiue, & mediate se extendere extra illud, imponendo suo subdito præceptum, quod teneatur implere, etiam si extra territorium vagetur, vt in superioribus, tractando de censuris in communi, declarauimus: vel etiam imponendo pœnam, quæ ipsi quasi inhæreat, & illam secum ferat, quocunque tendat, sicut de excommunicatione diximus, & de depositione dicitur in ca. Si quis presbyter. 7. q. 1.

Quidam vero hanc regulam limitant ad illam suspensionem, quæ est ab vsu ordinum, quia, cum hic vsus per se non respiciat hunc vel illum locum, ne ab illo pendeat, qui simpliciter ab ordine suspenditur, sine dubio vbiq̃ue suspensus est. Secus tamen existimant in Suspensione, quæ est ab aliis officiis, vel ministris Ecclesiasticis, quæ vsu ordinum non requirunt, vt est vsus iurisdictionis fori cōtentiosi, electio, & similia: nam in his quāuis Episcopus simpliciter suspendat subditum ab officio, non putant posse illum prohibere, quominus in alio Episcopatu possit esse iudex, seu Vicarius Episcopi, v. g. aut ne possit eligere, aut habere officium Custodis, aut aliam similem administrationem rerum Ecclesiæ, quia hæc videtur respicere commodum, aut utilitatem talis loci, aut territorij: ideoque prohiberi quidem possunt à particulari Episcopo intra suum territorium; non vero extra illud. Sed hoc in primis non procedit in vniuersali Episcopo, seu Pontifice Summo, quia iurisdictionem habet in vniuersa Ecclesia, & eius commodum directe, ac per se respicit: ideoque in suspensionibus iuris communis, quæ Papales sunt, & in omnibus aliis, quæ à Summo Pontifice quacunque ratione feruntur, absolute & sine limitatione procedit regula posita. In his vero, quæ feruntur ab aliis Episcopis, dicta sententia probabilis est.

Tamen, quia hæc censuræ non sunt considerandæ: vt puræ prohibitiones, seu præcepta imposita à priuatis Episcopis, sed vt inhabilitates, ab Ecclesia institutæ: ideo probabilius existimo, à quocunque imponatur suspensio ab officio simpliciter prolata, habere eandem vim quoad loci vniuersalitatem. Quia est censura eiusdem rationis, & licet applicetur per potestatem, & iurisdictionem particularem, tamen obligat, & suspendit ex vi institutionis sue, quæ

Per particularia præcepta potest Prælati extra territorium obligare non per statuta. Cap. 2. de Const. exponitur.

Quorundam limitatio posita conclusionis.

Limitatio non procedit in vniuersali Episcopo, seu Pontifice Summo, quia iurisdictionem habet in vniuersa Ecclesia, & eius commodum directe, ac per se respicit.

Limitatio data etiam in suspensionibus Episcopis, si reuocatur.

Impugnatur.

Regula ad determinandum quantum suspensio habet limitatorem.

6. Dicitur quod suspensio ab officio non est totalis, sed partialis, quia non priuet officio iam obtento, vt dixi, impedire tamen, ne aliud simile suscipi possit.

Cap. 2. de iurisdictione omni. iudic.

9. Suspensio habet impetum licet non effectum de modo acquiritur. Conclusio.

7. Dicitur alia suspensio ab officio, quæ non est totalis, sed partialis, quia non priuet officio iam obtento, vt dixi, impedire tamen, ne aliud simile suscipi possit.

Cap. 2. de iurisdictione omni. iudic.

Sic suspens
potest in a
lio loco sim
le officium
accipere.

*Suspensio ab officio simpliciter lata quantum
duret.*

Limitatur
primò con-
clusio.

Potest preterea conditio apponi ex voluntate fe-
rentis pendens vt donec aliud dispoſuero, vel quid ſi-
mile, De iurifp.

SECTIO II.

Quale peccatum sit violare suspensionem ab officio, quantumque talis actio valeat.

P Rincipio certum est graviter peccare eum, qui dum suspensus est ab officio, aliquid officii Ecclesiastici exercet. Probat, quia est in uniuersum prohibitus, vtoftenfum est: est autem hæc promissio de re graui ex suo genere, vt constat: ergo ex suo genere transgressio Ecclesiastici præcepti peccatum est mortiferum. Et confirmatur, nam propter hanc causam communicatio in sacris est ex suo genere peccatum mortale in excommunicato, quia materia illa grauis est, à qua excommunicatus est prohibitus, & suspensus per censuram Ecclesiasticam. Eadem autem ratio est in præfenti, nam vsus Ecclesiastici muneris sacrum quid est: & per hanc censuram grauius interdicitur: ergo. Atque hoc modo potest hæc veritas confirmari ex c. Sacris, de iis, quæ vi & per argumentum à fortiori ex c. vlt. de Cler. exc. minist. Item confirmatur ex graui pœna, quæ in iure pro hac transgressione imponitur, de qua statim dicemus. Aduerto tamen hoc non procedere de officio canonico priuatim recitando, nam hoc est merum onus, non honor, & illud non tollitur per pœnam, sicut in simili diximus de excommunicatione: est enim hic eadẽ ratio: vt notauit Gloss. vlt. in c. Presbyterum, 28. d. Sylu. verb. Irregularitas, n. 15. A bb. in c. 2. de Cler. excom. minist. Deci. in c. Apostolica de exception.

Conclusio.

Per suspensio non tollitur obligatio recitandi priuatim officium canonicum.

Gloss. Sylu. Deci. Abbas.

Acta à suspensio valide sunt.

S Tatim vero inquiri poterat, an acta ab huiusmodi sic suspensio valida sint. Sed hæc dubitatio eodem modo expedienda est, quo similem de excommunicatione resoluimus. Aut enim quæ à suspensio aguntur, sunt actus solius ordinis, qui ad suum valorem iurisdictionem non requirunt, aut sunt actus potestatis iurisdictionis, sub qua (vt hoc semel admoncam) comprehenditur potestas eligendi, & similes, siue in rigore iurisdictionem includant, siue aliquod æquiuales ius ab hominibus concessum, & auferibile. Actus igitur ordinis validi sunt (excepta absolutione sacramentali, quæ ex iurisdictione pendet) quia Ecclesia non potest impedire valorem horum actuum, si debita materia & forma à ministro habente potestatem ordinis vera intentione applicantur, vt sæpe in superioribus ostensum est. At vero, si actus sunt tales, vt iurisdictionem postulet, per se loquendo, inuvalidi sunt, quia suspensus priuatus est actuali iurisdictione, vt supra declaratum est, & iura, quæ supra attulimus ad hoc probandum de excommunicatione: expressius de suspensione loquuntur. Dixi autem, per se loquendo, propter regulam sæpe traditam, quod si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communiter toleretur in publico ministerio seu officio, acta eius valent, quia Ecclesia supplet defectum propter commune bonum. Vbi etiam aduertere oportet Extrauag. Aduertenda, in hac etiam censura locum habere: nam & generaliter dicit ratione alicuius sententia, aut censuræ Ecclesiasticæ: & specialiter addit, aut suspensionis; aut prohibitionis à iure aut ab homine generaliter promulgatæ. Quapropter, si suspensus non est specialiter denunciatus, quamuis quoad se prohibitus sit, ne in officio suo ministret & ideo peccet, si id faciat per se, aut ex se; tam quoad alios non est priuatus iurisdictione: sicut de excommunicato supra dixi. Item, quia alii possunt ab huiusmodi suspensio non denunciato hos actus postulare v.g. absolutionem sacramentalem, vel absolutionem ab excommunicatione, vel aliquid simile per-

Actus ordinis à suspensio facti validi sunt.

Actus iurisdictionis sunt inuvalidi.

Nisi suspensio sit occultus.

Aut non denunciatus.

mile, iuxta c. Literas, & c. Dilectus, de Tempor. ordin. A
c. Nihil, de elect. c. Tam literis, de Testibus. Tunc ergo etiam est certum durare illam suspensionem, quamdiu conditio non impletur, illa autem impleta, cessare, quia ad hoc etiam habet efficaciam lex, & hoc intendit, vt ex eius verbis constat. Obseruandum autem erit, quando suspensio hoc modo imponitur, non ferri per modum censuræ ad contumaciam cohibendam, quia, quantumvis aliquis à contumacia recedat, vel satisfaciat, suspensus manebit, quamdiu superior sententiam non reuocauerit: neque obligabitur ex vi legis, & iustitiæ talem pœnam tollere propter respicientiam alterius; quia lex sub prædicta forma lata ad hoc non obligat, sed potius constituit in superioris arbitrio differre suspensionis reuocationem, quamdiu ad commune bonum, vel aliorum exemplum expedire iudicauerit. Quod fit, vt talis suspensio tunc magis feratur per modum puræ pœnæ pro peccato commisso: & idcirco non indigeat alia absolutione præter declarationem beneplaciti, vel reuocationem talis pœnæ ab ipso iudice, seu superiori factam.

Hic vero dubitant Iuristæ, quid dicendum sit, si contingat iudicem mori prius, quam circa talẽ conditionem quidquam declaret: Constituiturque delictum inter illas duas conditiones, vsque ad beneplacitum, vel vsque ad reuocationem. Nam prior non requirit actum contrarium, sed solum perseverantiam in priori voluntate; ita vt moraliter durare censeatur. Posterior vero requirit actum contrarium: nam hoc significat reuocationis, nomen. Ex qua differentia inferunt, quando conditio est modi posterioris tunc non impleri, nec cessare suspensionem propter mortem suspendentis: sed necessarium esse, vt per successorem eius, vel per superiorem fiat reuocatio arg. c. vlt. de Præcar. Et ratio est, quia conditio illa postulabat reuocationem, quæ facta non fuit, nec voluntas contraria intercessit: ergo non fuit impleta conditio: ergo nec finita suspensio. Postea autem successor illam auferre, quia eandem iurisdictionem habet, & moraliter non censetur differre ab antecessore. Is etiam qui superiorem iurisdictionem habet, potest quidquid inferior, & aliquid amplius iuxta superius dicta de absolutione à censura. De qua re videri possunt Felin. in c. 1. de iudic. n. 7. & Iason. in l. Centesimis, §. vlt. de verb. oblig. Prior vero conditio de beneplacito voluntatis, cum non requirit actum contrarium, sed solum cessationem, per mortem impleri censetur: Oportet autem adhibere distinctionem, qua vsus est Pontif. in cap. Si gratiosè, de Rescript. in 6. autem in tali conditione fit sermo de beneplacito personæ, vt si dicatur, vsque ad beneplacitum Petri, vel vsque ad beneplacitum meum, vel nostræ voluntatis: aut conditio fuit, vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. v.g. aut Pontificis Romani, & sic de aliis. Quando fit priori modo impletur conditio per mortem personæ, vt in eodem textu dicitur: quia cum persona extinguitur omnis voluntas eius & consequenter cessat beneplacitum, quod solum fuisse in prædicta conditione postulat, vt sumitur etiam ex l. 4. ff. Locati. At vero, quando de beneplacito Sedis mentio facta est, non impletur conditio, nec cessat suspensio propter mortem personæ suspendentis, vt ex eod. text. à paritate rationis sumitur. Est autem ratio, quia Sedes non extinguitur cum persona, sed quasi in continua successione eadẽ semper permanet. Quando autem in conditione appositæ vel in quocunque rescripto fit mentio loci, seu Sedis, & non tantum personæ, negotium totum refertur ad Sedem ipsam: & ab ea pendere videtur, & non à sola persona, vt habetur in c. Quoniam Abbas, de Offic. Deleg. De qua doctrina videri possunt Abbas; & alij Doctores in citatis textibus, & Felinus in cap. Ex literis, de Constitutionibus, & c. 1. situr: Fr. Suarez tom. 5.

17. Quod si iudex ante mortem quidquam de conditione declararet, non valeret.

Tul.

Discrimen inter conditionem vsque ad beneplacitum personæ, & vsque ad beneplacitum Sedis.

Abbas.

16. suspensio.

*Suspensio
non denun-
ciatus potest
licite actus
iurisdictionis
non exercere.*

pertinens ad iurisdictionem fore contentiosi: ergo potest suspensus valide hos actus exercere: alioqui nullius momenti esset concessio illius Extrau. ergo retinet iurisdictionem necessariam ad valorem actus. Vnde vltius sequitur huiusmodi suspensionem non solum valide, sed etiam licite huiusmodi actum exercere, quando absolui non potest, & ipse non se ingerit, sed alius ab ipso exigit debitum, vt si Parochus eius sit, vel certe si vere indiget eius ministerio, & in eo fauori recipientis, non exercentis consilium: quod eodem modo intelligendum est, quo similem doctrinam de excomm. declarauimus.

*Quam poenam incurrat, qui suspensionem
violat.*

Conclusio.

Hic vero quaestioni, alia est annexa, quam poenam incurrat suspensus ab officio ministrando in illo. Ad quam dicendum est huiusmodi suspensionem ab officio si actus ordinis ante absolutionem exerceat, irregularem ferri: aliam vero poenam, aut censuram ipso facto non incurrere: Si vero actum solius iurisdictionis vsurpet, nullam habere poenam specialiter ipso iure impositam, sed arbitrio iudicis puniri debere. Prima pars constat, c. 1. de Sent. & re iudic. in 6. & in c. 1. de Sent. excomm. eodem, & ex cap. Si quis, Episcopus in concilio, & cap. Si quis Episcopus damnatus, 11. q. 3. Ex quibus iuribus colligere licet, tam suspensionem a iure, quam ab homine incurrere eandem irregularitatem, quia de suspensione a iure loquuntur decreta citata ex libr. 6. de suspensione vero ab homine canones Decreti, & c. Is cui, de Sent. excomm. in 6. generatim & abstracte loquuntur: quare omnen suspensionem comprehendit. Estque vtriusque ratio eadem, quia est censura eiusdem speciei, diuersa enim causa efficiens non mutat speciem, per se loquendo. Incurrerit autem hanc poenam etiam ille, qui nominatim non est denunciatus suspensus, si violenter censuram, quia quoad ipsum integrum manet ius, quo hac irregularitas lata est, vt est communis sententia, de qua videri potest Abbas in c. Suat, de Cohabit. cler. & mulier. Excusabitur autem ab irregularitate, quoties excusatus fuerit a culpa ministrando, vel vt vitet grauem infamiam, vel scandalum, &c. quia hac irregularitas est poenalis, & ideo cessat cessante culpa.

*Suspensus
non denun-
ciatus vio-
lando censu-
ram potest
ferri irregu-
laris.
Abbas.*

*Violans sus-
pensionem
qua in pura
poenam fer-
tur, etiam
sit irregu-
laris.*

Addendum vero vltius est, hanc irregularitatem non incurrere tantum in suspensione, quae est propria censura, sed etiam in illa, quae est pura poena. Prior pars certa est ex iuribus citatis, tum supra de excommunicatione, & praecipue ex c. Is cui, de Sent. excomm. in 6. vbi constituitur generalis regula, de celebrante diuina, cum sit censura ligatus. Et hac est ratio vnica huius partis, quae videtur reddere dubiam posteriorem partem, quia illa suspensio non est censura. Nihilominus etiam est certa, quia suspensio lata ad definitum tempus non est propria censura, sed poena, & tamen in illa incurritur hac irregularitas, nam de illa expresse loquuntur c. 1. de Re iud. & de Sent. excomm. in 6. quia talis suspensio tam efficaciter priuat sacro ministerio dum durat, sicut qualibet alia non ergo incurritur hac poena tantum in propria censura, sed etiam in pura poena.

*Contraria
opinio im-
probatur.*

Vnde fit improbabile esse quorundam Canonistarum opinionem, qui dixerunt, quando suspensio a iure fertur his verbis, *Qui hoc feceris, suspensus sis ab officio donec satisfacias*, etiam si post commissum tale crimen minister in officio non manere irregularem: quia illa suspensio (aiunt) non est censura, sed quaedam intrinseca poena, quam secum affert ipsum peccatum, argumento cap. vlt. de Cohabit. Cleric. & mulier. & significauit Innocentius in cap. vlt. de Clerico excommunic. minist. numero 3. Sed hoc non est probabile: quia non potest censura, vel suspensio Ecclesiastica expressioribus verbis ferri,

Innocen.

A Item quia talis lex non explicat solum, intrinsecum effectum ipsius peccati, sed propriam poenam Ecclesiasticam inducit, vt ex ipsis verbis satis constat, quae inutilia essent, si nihil aliud operarentur, quam id quod ipsum peccatum per se inducit. Maxime quod saepe ipsum peccatum per se non posset impedire omnem actum, quem talis suspensio impedit: nam interdum est suspensio a toto officio Ecclesiastico: & tamen peccatum per se non impedit omnem actum cuiusque ordinis inferioris: neque etiam iurisdictionis, vt alibi ostendimus. Aliquando etiam talis suspensio est non solum ab officio, sed etiam a beneficio, vt patet ex cap. Quia saepe, de Elect. in 6. cap. Praesenti, de officio Ordinarii, in 6. at constat, suspensionem a beneficio poenam esse, quam ipsum peccatum per se non infert, nisi ab Ecclesia imponatur: ergo idem dicendum est de suspensione ab officio sub eodem tenore, & verbis lata. Est ergo talis suspensio vera censura: ergo qui illam incurrit, irregularis fit, si, antequam illa liberetur, in diuinis ministrat ex officio. Quod recte docuit Glossa c. 2. de Censibus, in 6. verbo, *suspensus*. Neque est ad rem ca. vlt. de Cohabit. Cleric. & mulier. quia ibi non fertur poena sub illis verbis, nec sub aliis aequivalentibus, sed solum dicitur, Clericum concubinarium ratione sui mali status esse quoad se suspensionem, vbi verbum, *Suspensus*, late sumitur pro impedimento, seu obligatione, quam talis Sacerdos habet in conscientia non celebrandi in eo statu: & ideo certum est, illum non fieri irregularem celebrando, etiam si peccet: nos vero loquimur, quando in canone sunt verba sufficientia ad significandum, & imponendam censuram. Hic autem occurrebatur declarandum, quale debeat esse hoc ministerium, vt sit sufficiens causa huius irregularitatis. Sed hoc sufficienter regimus tractando de simili irregularitate, quam incurrit excommunicatus in diuinis ministrando: nam eadem doctrina applicanda est ad suspensionem.

Praeter hanc vero poenam (quod in secunda parte assertionis dicebamus) nullam aliam inuenimus in iure impositam pro vsu ordinis. Pro vsu vero solius iurisdictionis, qui non includat actum ordinis, non inuenitur, vel irregularitas, vel alia censura, aut poena generaliter a iure imposita: & ideo propter illum actum irregularitas non incurritur, iuxta generale principium de irregularitate. Nec probandum censio opinionem, quam ex alijs refert, & sequitur Maiolus libro tertio, de Irregularitate, capite 19. extension. 2. & 14. Qui dicunt, suspensionem ab ordine, vel officio, conferendo beneficium alicui, incurrere irregularitatem: talis enim irregularitas nullo iure ostenditur, neque a Maiolo citatur, imo nec Glossa magna, quam citat ex cap. Tanta, de Excelsib. Praelat. hoc affirmat: solum enim agit de celebrante violando interdictum. Glossa vero magna, quam etiam refert ex cap. Cum dilectus, de Consuetud. licet si dicat, Clericum suspensionem non posse valide beneficia conferre, non amen dicit fieri irregularem ea conferendo. Neque id recte inferitur (quidquid sit de antecedenti, de quo supra dictum est) quia non omnis violatio suspensionis inducit irregularitatem: sed illa tantum, quae est in vsu ordinum, quia iura de nullo alio actu loquuntur. Et iuxta hanc regulam iudicandum est de multis alijs extensionibus huius poenae, quas ibi late Maiolus prosequitur. Veritas enim est, irregularitatem non incurrere pro vsu beneficij, aut iurisdictionis, qui non includit actum ordinis. Et congruentia reddi potest, vel quia actus solius iurisdictionis non sunt adeo sacri, sicut actus ordinis: & ideo non oportuit tam seuerum in iure puniri, vel certe quia irregularitas per se non impedit actum iurisdictionis, sed Ordinis: & ideo tantum poena proportionata imponitur ei, qui, quam

Sect. III. An suspensus ab officio sit etiam a benef. &c. 435

cum suspensus sit, male videtur ordinibus; non vero ei, qui solum vfu iurisdictionis male vfu est. Quia vero hoc etiam est graue delictum in iniuriam censuræ, & Ecclesiasticæ potestatis, quamuis in iure non puniatur, puniendum est à Iudice, si legitime probetur: non enim debent talia delicta impunita manere.

De participantibus cum suspensio ab officio.

⁷ Tandem potest facile ex dictis intelligi, quomodo peccent alij, qui cum suspensio ab officio participant in huiusmodi prauo vfu suspensionis suæ. Est enim aduertendum, suspensionem per se non priuare communicatione aliorum, sicut excommunicatione priuat. Nam formaliter loquendo, in hoc præcipue differunt hæc duæ censuræ, vt supra visum est, & authores docent: neque est vllum ius, in quo hic effectus suspensioni tribuatur: ideoque nec communis confabulatio, alique actiones vfuales communicationis hominum, neque etiam humani contractus, neque actiones forenses, tum agendo, tum le defendendo, vel etiam testificando, per suspensionem prohibentur, per se loquendo. Quia hæc non prohibentur per censuræ, nisi vt sunt communicationes quedam: & ideo licet per excommunicationem prohibeantur, non tamen per suspensionem: nec inuenitur in iure, vt notatur etiam Innocentius. Abbas, & alij Doctores in cap. *Intelleximus*, de Iudiciis, & in cap. *Venerabilis*, de Sententiæ excommunicationis. Solum ergo prohibetur aliis illa participatio cum suspensio, quæ est communicatio, vel cooperatio cum illo in delicto, vel malo vfu officij, à quo est suspensus: hæc enim per se, & intrinsece mala est, & prohibita.

⁸ At pro tali delicto nulla est in iure imposita pena, vel censura ei, qui sic communicat cum suspensio: vnde neque excommunicatio minor propterea incurritur, sicut in communicatione cum excommunicato. Quin potius etiam si quis cum suspensio communicet in crimine, propter quod suspensus est, non propterea incurrit eandem suspensionem, aut etiam censuram; quia nullo iure lata est: in quo etiam differt hæc censura ab excommunicatione. Et forsitan ratio, seu fundamentum est, quia suspensio non respicit per se communicationem, sicut excommunicationis censura.

SECTIO III.

Vtrum suspensus ab officio sit etiam suspensus à beneficio, vel ab aliquo alio actu sacro, vel profano.

¹ In hac sectione explicandum nobis est, an suspensio hæc ab officio alios effectus habeat, præter eos, quos in præcedenti declarauimus. De tribus autem dubitari potest: scilicet de beneficiis, vel fructibus eorum: de alijs spiritualibus bonis, quæ magis in recipiendo, quam in agendo consistunt: & de actionibus mere ciuilibus, seu temporalibus.

² Circa primum punctum res certa est, ex vi suspensionis ab officio non priuari quempiam beneficiis, quæ possidebat: nam vt infra ostendemus, etiam per suspensionem à beneficio non priuatur quis titulo, & proprietate beneficiorum. Item nullus est in iure locus, in quo hic effectus suspensioni ab officio tribuatur. Quod si quis obijciat cap. *Cum bona*, de Acquis. & qualibet. Respondemus primum, ibi non declarari, an illa suspensio sit ab officio: solum enim re- fertur, quendam fuisse ab homine suspensum. De-

Fr. Suarez tom. 5.

^A inde ibi solum dicitur, illum, qui post suspensionem, in qua per triennium permāserat, aliud beneficium adeptus est, neque illud, neque alia, quæ prius habuerat, obtinere debuisse: ex quo potius colligitur, per priorem suspensionem non fuisse priuatum beneficiis, quæ habebat, sed propter pertinaciam in suspensione, & propter delictum postea commissum, illis fuisse priuandum: quem textum magis in sequentibus declarabimus.

Tota ergo dubitatio est de fructibus beneficii, an per suspensionem ab officio ipso iure aliquis eis priuetur. Et ratio dubitandi esse potest, quia beneficium non datur nisi propter officium, cap. *vt de Relicrip.* in 6. ergo hoc ipso, quod ab officio quis suspenditur, eorum radice, & fundamento consequenter suspenditur à beneficio, qui accessorium sequitur principale; beneficium autem accessorium est respectu officij, argumento cap. *Si quis obierit*, l. q. 3. D. Thomas 2. 2. quæst. 100. ar. 4. Et confirmatur, quia excommunicatione priuat fructibus beneficiorum, vt supra ostensum est cuius est potissima ratio, quia excommunicatus omni vfu Ecclesiastici officij priuatus est: ergo idem erit de suspensione. Atque ita sentit Glossa in cap. *Latores*, de Clerico excommunicato. nistr. verbo, *Ab officio*. Quia vbi est (inquit) vnum propter aliud, vbi est vnum tantum. Glossa vero in Clementina, *Capiens*, de Penis, verb. *Suspensio*, disputans quæstionem hanc, dubiam illam relinquere videtur. Alij vero Canonistæ, prædictam sententiam limitando, distinctione vti sunt, de suspensione à iure, & ab homine. Et quidam dixerunt, eam suspensionem ab homine, quæ est ab officio, esse etiam à beneficio; non vero eam, quæ est à iure, vt refert dicta Glossa in Clementina, *Capiens*, & Glossa in ea, de Re iudic. in 6. verbo, *Officiu*: quia ius, quod penam infert, benignius interpretandum est, quam hominis sententia. Alij è contrario dixerunt, suspensionem ab officio, si sit iuris, includere suspensionem à beneficio; non vero si sit ab homine. Ita refert ex Ioanne Andrea Glossa in cap. *Præter*, dist. 13. verbo *Ab Ecclesia*, argumento illius textus. Alij variis distinctionibus vtuntur, quas refert Syluester, verbo *Suspensio*, num. 5. Vna est, quia cum aliquis suspenditur ab officio cum additione exclusiua, scilicet, *tantum, vel solum ab officio*: tunc non suspenditur à beneficio: quando vero sine additione talis particule fertur suspensio ab officio, comprehendit etiam beneficium. Et ratio esse potest, quia particula exclusiua aliquid operatur: ergo cum additur, aliquid excludit, quod sine illa non excluderetur: quod nihil aliud esse videtur, quam suspensio à beneficio. Alij, quos refert, & sequitur Coharruias in Epitome 4. Decretalium 2. part. cap. 6. in principio, nu. 13. & 14. Et sentit Abbas in cap. *Apollis*, de Except. num. 9. cum Glossa in cap. *Presbyter*, 2. quæst. 5. putant vltius esse confiderandam causam, vel gravitatem delicti, propter quod quispiam suspenditur: nam si suspenditur ab officio propter infamiam, vel contumaciam, non suspenditur à beneficio: si propter crimen, vel crimen est leue, & non suspenditur à beneficio: vel est graue, & ab viroque suspenditur. Sic etiam distinguere videtur de suspensione ob contumaciam, vel ob delictum: Abbas in cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, num. 16. de Appellat. quatenus ait, suspensio ob contumaciam esse prouidendum de fructibus beneficii: quia ipse sibi potest providere, si velit respicere: supponit ergo, quamdiu non respicit, non facere fructus suos: alteri vero ait esse prouidendum, ne egeat: quia iam non pendet ex voluntate eius, vt à suspensione ab- soluatur. Et pro hac sententia citat Glossam, quam sic declarat in cap. *Cum Vintonienfis*, de Electione.

^C Dicendum censéo, quando suspensio ab officio præcise fertur, siue à iure, siue ab homine, per se non includere suspensionem à beneficio, & consequenter non priuare sic suspensum fructibus beneficii, his;

^D vel solum ab officio: tunc non suspenditur à beneficio: quando vero sine additione talis particule fertur suspensio ab officio, comprehendit etiam beneficium. Et ratio esse potest, quia particula exclusiua aliquid operatur: ergo cum additur, aliquid excludit, quod sine illa non excluderetur: quod nihil aliud esse videtur, quam suspensio à beneficio. Alij, quos refert, & sequitur Coharruias in Epitome 4. Decretalium 2. part. cap. 6. in principio, nu. 13. & 14. Et sentit Abbas in cap. *Apollis*, de Except. num. 9. cum Glossa in cap. *Presbyter*, 2. quæst. 5. putant vltius esse confiderandam causam, vel gravitatem delicti, propter quod quispiam suspenditur: nam si suspenditur ab officio propter infamiam, vel contumaciam, non suspenditur à beneficio: si propter crimen, vel crimen est leue, & non suspenditur à beneficio: vel est graue, & ab viroque suspenditur. Sic etiam distinguere videtur de suspensione ob contumaciam, vel ob delictum: Abbas in cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, num. 16. de Appellat. quatenus ait, suspensio ob contumaciam esse prouidendum de fructibus beneficii: quia ipse sibi potest providere, si velit respicere: supponit ergo, quamdiu non respicit, non facere fructus suos: alteri vero ait esse prouidendum, ne egeat: quia iam non pendet ex voluntate eius, vt à suspensione ab- soluatur. Et pro hac sententia citat Glossam, quam sic declarat in cap. *Cum Vintonienfis*, de Electione.

⁴ Dicendum censéo, quando suspensio ab officio præcise fertur, siue à iure, siue ab homine, per se non includere suspensionem à beneficio, & consequenter non priuare sic suspensum fructibus beneficii, his;

Qo 2

Nauarro.
Abbas

his exceptis distributionibus, quæ non cōferuntur, nisi his, qui per se assistunt, seu ministrant in diuinis officiis. Hæc est (vt opinor) communis, & certa sententia, vt sumitur ex Nauarro, cap. 27. numer. 160. Abbate, & aliis in Clementina *Capietes*, de Pœnis, & in cap. *Apostolus*, de Excep. Et confirmatur optime ex cap. *Inter*, de Purgatione canonica. Quod sic habet: *Licet Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum vsque ad purgationem canonicam docet suspendendos; quia tamen etiam cum à beneficio propter immanitatem criminis suspensif, nolimus improbare.* Ex quibus verbis constat, suspensionem ab officio non includere suspensionem à beneficio, nisi adiungatur. Ratio autem est, quia verba stricte accipienda sunt in his, quæ odium, seu pœnam continent. Sed illud additur, *ab officio*, restringit ad talem partem suspensionis: ergo non est ulterius extendenda. Confirmatur: nam quando lex vult vtrumque complecti, vtrumque etiam expresse proponit, vt patet ex cap. *Decernimus*, distinctione 28. cap. *Præter*, distinct. 32. capit. *Si quis sacerdotem*, & cap. *Eas*, distinct. 82. cap. 1. de Secundis nuptiis, & cap. 2. de Fidei iussor. & aliis supra relatis. Similiter Iudices solent id exprimere, semperque possunt id facere, si velint: ergo quando exprimunt, *ab officio*, signum est nihil aliud imponere voluisse. Neque est verum in illa particula, *ab officio*, virtute comprehendendi beneficium, quia propter officium datur. Supra enim agentes de excommunicatione ostendimus, hanc non esse sufficientem rationem: quia licet ratio institutionis beneficii sit officium, tamen non semper necessarium est, vt is, qui habet beneficium per se, exerceat aliquod Ecclesiasticum, ac publicum officium ad percipiendū valide, & interdum licite fructus beneficii: ergo licet quis suspendatur ab vsu officij, non propterea statim priuatur fructibus beneficii. Eo vel maxime, quod semper tenetur officium Canonicum saltem priuatim recitare, quæ præcipua, vel magna pars est oneris, quod per beneficium imponitur. Solum ergo illa ratio habet locum in illis fructibus, qui ita sunt annexi personali ministerio, vt absque illo non dentur, vt sunt quotidianæ distributiones Cathedralium Ecclesiarum, iuxta cap. *Licet*, de Præbendis, & si quæ sunt huiusmodi. Atque ita ex ea ratione solum probatur vltima pars sententiæ propositæ.

Contraria
sententia
impugna-
tur, secunda,
& tertia re-
solvuntur.

Quarta im-
probatur.

Neque distinctiones aliarum opinionum probabilitatem præferunt. Quid enim ad præsens negotium refert, quo suspensio lata sit à iure, vel ab homine, si eisdem verbis ab vtroque lata est; & verba ab vtroque prolata eandem significationem habent: & vtriusque, scilicet & legislatoris, & Iudicis voluntas, & efficacia verbis accommodanda, cōmensuranda, ac restringenda est? Nam in vtroque verum habet axioma iuris, quod pœnæ restringenda sunt: nulla ergo est ratio differentiae inter suspensionem ab homine, & à iure. Nec quidquam etiam interest, quod addatur particula exclusiua, vel omitteretur: nam in primis nulla afferitur iura, in quibus hoc discrimen notari possit, vt ex eis vel regula, vel saltem indicium probabile sumatur, vnam formam verborum plus operari, quam aliam. Et in sententiis ab homine, voluntariū est; vel vnus cautiior est in loquendo, quam alius: ideoque expressius, omnemque dubitationem excludendo, mentem suam declarat. Vt si vnus in testamento dicat: *Lego centum Petro*; alius vero dicat: *Lego tantum centum*, vel *Lego centum*, & non amplius: idem est legatum, quamuis vnus addiderit expressam exclusionem, quam nō addidit alius: quoad effectum non refert, quia vt legatum non sit maius, proinde est maiorem quantitatem tacere, quam negare. Et hæc ratio habet locum in præsentia, quia sententia non potest plus operari, quam verbis exprimitur. Nec satisfaciunt quod quidam asserunt, hoc pendere ex inten-

tionem Iudicis, vt si ipse intendat suspensionem ab officio, & beneficium imponere, quamuis in sententia tantum exprimat suspensionem ab officio, dummodo aliud non excludat, vtrumque operari. Nam in rigore id falsum esse existimo, nisi in antecedentibus, & consequentibus verbis aliqua addantur æquiualentia quibus talis intentio sufficienter exprimitur. Quia intentio non operatur sine verbis, in censuris ferendis, vt supra, explicando formam censuræ, declaratum est. Imo hoc commune est his sententiis cum aliis, vel cum contractibus, sub verbis includendo quolibet sufficientia signa.

Quapropter multo minus ad rem confert, quod suspensio sit lata propter crimen tantum, vel propter aliam causam, aut propter crimen graue, vel leue: quia suspensio efficitur iuxta formam, per quam fit: nam in hac est vis effectiua illius: causa vero, vel culpa est veluti materia, seu ratio impulsiva. Sicut in criminali sententia, verbi gratia, non facit quod delictum sit dignum morte, si Iudex solum exprimat in sententia mutilationem membri: quia licet pœna imponenda sit iuxta qualitatem culpæ, tamē de facto non imponitur, nisi iuxta voluntatem Iudicis, quæ interdum non est adæquata delicto. Quod ex verbis sententiæ semper iudicandum est. Grauitas ergo delicti consideranda est ad cognoscendum, an sententia fuerit iusta, remissa, vel excedens; non tamen ad cognoscendum, an hæc, vel illa pœna fuerit imposita: hoc enim verba ipsa significare debent, nisi forte interdum sint aliqua ambigua, vt ex comparatione ad culpam cōiectandus sit eorum sensus; quod in præsentia locum non habet, cum verba ipsa satis perspicua sint. Confirmatur: nam si Iudex proferat sententiam sub hac forma: *Suspendo te ab officio, & beneficio*: licet considerata grauitate criminis, sententia videatur nimis rigorosa, dummodo intolerabilem non contineat errorem vtrumque operatur, neque potest rationabiliter ad vnum limitari potius, quam ad aliud, donec à superiore rescindatur, vel ex parte tollatur. At vero si Iudex proferat sub hac forma: *Suspendo te ab officio vel beneficio*: licet crimen mereatur vtramque suspensionem, ibi non imponitur, quia Iudex non declarauit se id velle. Imo licet crimen tale sit, vt iuxta prudēs arbitrium, definite mereatur potius suspensionem à beneficio, quam ab officio, aut è contrario: nihilominus ex vi illorum verborum neutra determinate imponitur, quia Iudex hoc non declarauit, propter quod aiunt Doctores, sententiam ab homine sub ea forma prolatam nullam esse ob indeterminationem, vt videre licet in Syluestro supra ex Hostiensis, & aliis, & nos diximus supra, si talia verba, vel æquiualentia habeantur in iure, esse in ordine ad sententiam ab homine ferendam, & determinandam: ergo suspensio nunquam excedit vim verborum scientiæ propter delicti grauitatem. Nec denique in hoc admittenda est distinctio inter suspensionem propter contumaciam, vel delictum: neutra enim, si ab officio præcise feratur, suspendit à beneficio, seu fructibus beneficii: nam omnia, quæ adduximus de vtraque, æque procedunt. Neque quoad hoc aliquid est in iure definitum de vna potius, quam de alia. Neque Abbas in citato loco de suspensione ab officio loquitur, sed à beneficio, de quo postea dicemus.

Quomodo suspensio ab officio noui beneficii consecrationem impediatur.

Sed quærendum restat, an hæc suspensio impediat saltem collationem, vel obtentionem noui beneficii. Nam videtur ex dictis sequi, censuram hanc non habere talem effectum: quia illa verba

per

per quæ fertur, non efficiunt plus, quam significant: non significant autem hunc effectum; ergo neque illum efficiunt. Nihilominus dicendum censetur, per huiusmodi suspensionem impediri quæpiam à collatione noui beneficii, propter cap. ult. de Clerico excommunicato ministr. ubi de excommunicato minori excommunicatione dicitur, non posse eligi ad Ecclesiastica beneficia. Dices: argumentum à simili in materia penali non est efficax, etiam si altera censura grauior esse videatur: quia censura, quæ simpliciter leuior est, potest habere aliquem effectum, quem non habet censura grauior. Respondetur, argumentum hoc non sumi à simili, sed ex generali regula, quæ in eo textu statuitur, eum, qui est priuatus aliquo munere, vel actu, etiam esse priuatum suspensione eorum, quæ ad talem actum, vel munus ordinantur. Quod principium ex illo colligunt Abbates, & alij interpretes: & plane in eo continetur. Sed beneficium Ecclesiasticum ordinatur ad alicuius officij vel muneris Ecclesiastici administrationem: ergo qui ab hac suspensus est, consequenter est interdictus à susceptione noui beneficii. Atque ita responsum est ad rationem dubitandi propositam: nã licet formaliter in suspensione ab officio non fiat mentio prohibitionis beneficii suscipiendi, tamen in radice continetur illa prohibitio in ipsa suspensione ab officio. Quod non est simile de fructibus beneficii iam obtenti, tum quia illud non est explicatum in iure, neque ex aliquo eius principio colligitur, sicut hoc: tum etiam quia longe aliud est nouum titulum beneficii obtinere eum, qui est incapax officij: aliud vero est frui fructibus proprii beneficii pro illo tempore, quo illi inferui non potest. hoc enim posterius habet fundamentum in titulo beneficii iam acquisito; & ideo nihil habet absurdum: illud vero prius ex parte ipsius suspensi nullam rationem, vel titulum præsupponit, & ex parte Ecclesiæ est contra rationem, & vtrumque in beneficio nouo prouideat, quem ab officio habet suspensum: hoc enim esset quodammodo agere cõtra priorem prohibitionem, vt in dicto capite vltim. Glossa notauit.

Addendum vero est, hanc electionem non esse p̃so iure irritam, sed irritandam: nec suspensionem ab officio esse personam inhabilem, sed prohibitam. Probatur, quia ex dicto textu non amplius colligitur, etiam respectu excommunicationis minoris, vt supra ostensum est, de qua textus ipse formaliter loquitur: ergo à fortiori idem dicendum est in alijs, ad quos ratio eius extenditur. Atque ita sentit Abbas in cap. Vel non est compos, de tempore ordin. ad idem inducens textum illum. Nam ibi Pontifex precipit cuidam suspensio prouideri de beneficio Ecclesiastico, quasi supponens sine dispensatione sua non potuisse fieri. Respondent aliqui, non esse sensum, vt ei conferatur beneficium, sed alimenta de fructibus alicuius beneficii. Sed contra, quia Pontifex non de fructibus: sed de beneficio loquitur; & necesse non est restringere fauorem. Magis videtur ob stare, quia illud videtur factum ex dispensatione Papæ: vnde potest argumentum in contrarium retorqueri. Sed primum licet hoc detur, solum probatur id esse prohibitum, non vero personam esse inhabilem. Deinde ibi nullum est verbum dispensationem indicans, sed debita prouidentiam. Vnde ille est casus specialis, quia illa non erat suspensio culpabilis, sed veluti irregularitas temporalis sine culpa contracta: tunc enim in fauorem ordinis suscepti sine culpa, prouidetur quis de beneficio, ne mendicare cogantur.

Fr. Suarez tom. 3.

Quas actiones impediat suspensio ab officio simpliciter lata.

Circa secundum ratio difficultatis sumi potest ex Glossa in Clementina Cupientes, de pœnis: ubi propter proprias functiones Ecclesiasticas, plures actus sacros numerat, quibus solet partialis suspensio priuare, qui consistunt vel in receptione aliqua, vel in actione, non tam officij clericalis, quam Christiani (vt sic dicam) huiusmodi est ingressus Ecclesiæ, à quo interdum aliquis suspenditur, vt colligitur ex cap. Is cui, de Sentent. Excommunic. in 6. Item vsus Eucharistiæ, seu eius receptio, à qua etiam aliquando sit suspensio, Cap. vltim. 51. dist. cap. Si quis autem, cap. Placuit, & cap. vlt. 18. dist. & ca. 1. de his, quæ sunt à maior. part. cap. Quamuis autem hæc sint suspensiones quasi partiales; quia tamen diximus, suspensionem ab officio simpliciter latam esse totalem, videri potest, omnia hæc in se complecti.

Dicendum est tamen, per suspensionem hanc nullum ex his actibus prohiberi, neque aliquod spirituale opus, quod alicuius Ecclesiastici ministri officium non sit. Hæc est sententia communis, quæ satis probatur ex definitione suspensionis supra data, cum alijs, per quæ supra tradidimus, hanc esse censuram propriam Clericorum. Quocirca per suspensionem ab officio non priuatur quis participatione Sacramentorum, tum quia illud non est officium Ecclesiasticum, quo solo priuat hæc suspensio, vt ex forma eius constat: tum etiam quia talis effectus nullo iure cauetur. Atque ita sentit Abbas in cap. ult. de Clerico excomm. ministr. Antonius in tit. de Censuris, cap. de Suspensione. Syluester verbo, Suspensionis: num. 1. & alij Summistæ Theologi dist. 18. ubi Carthusianus quæst. 4. specialiter aduertit, non priuari aliquem per hanc suspensionem indulgentijs; & idem est de alijs suffragijs, & Ecclesiastica sepultura. Atque eadem ratione non priuatur ingressu Ecclesiæ: vnde enim potest colligi talis effectus? nã neque excommunicatio maior illum habet, vt supra ostendimus: sed est proprius interdicti, de quo loquitur dictum cap. Is cui, de Sentent. excomm. in eius principio. Nec refert quod in fine vers. Sane, his verbis vtitur: Sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio: nam potius ex illa definitione, vel colligitur, suspensionem ab officio non impedire ingressum Ecclesiæ: vnde in illis verbis tres censuræ numerantur, excommunicatio, suspensio, & interdictum: quanquam nomen suspensionis late extendatur ad significandam illam priuationem, quæ per interdictum fit: sicut è conuerso priuatio, quæ fit per suspensionem, interdictio quadam dici solet. Atque hoc modo videtur Glossa in dicta Clementina, Cupientes, amplissime, & quasi æquiuoce vti verbo suspensionis, vt de excommunicatione, & interdicto interdum dicitur: plures enim effectus, quos ibi recenset, non pertinent ad suspensionem, vt est specialis censura, sed aliqui ad excommunicationem, aliqui ad interdictum spectant, & nonnulli ad alias pœnas, quæ in Canonibus imponi solent.

Solum potest circa hoc dubitari de susceptione Sacramenti Ordinis: nam hoc Sacramentum darur ad functiones Ecclesiasticas exercendas: ergo qui ab officio suspensus est, non potest ordines suscipere, iuxta principium sumptum ex cap. vltim. de Clerico excommunic. ministr. Respondeo, ita esse limitandam regulam positam, vel potius declarandam: nam illa receptio formaliter non prohibetur, quatenus receptio Sacramenti est; sed quatenus est via ad Ecclesiasticam functionem peragendam: sicut etiam prohibetur communio clericalis, non quatenus est receptio Sacramenti, sed quatenus est pars quædam

Ratio dubitandi.

Conclusio.

Abbas.
Anton.
Syluest.

Carthusij.

Cap. Is cui, de Sent. excomm. in 6. exponitur.

Expositio Glossa in Clementina Cupientes.

An suspensus ab officio ordines suscipere possit.

Resolutio.

dam celebrationis Missæ. Addo, neminem proprie suspendi nisi ab ordine iam suscepto, vt supra dixi. Et ideo suspensionem nunquam impedire receptionem ordinis, per se primo, sed consequenter, quia scilicet suspensus ab inferiori ordine, consequenter est suspensus ab vfu superiorum, si illos habet, vel si non habet, ne illos accipiat: & ita etiam suspensus ab officio, sicut prohibetur ab vfu superiorum ordinum, ita dicendus est impediri, & prohiberi, ne ad illos ascendere possit, ita vt radicaliter, & eo modo, quo potest, à tali vfu arceatur: quod magis ex dicendis sectione sequenti constabit.

¹²
Suspensio ab officio an princeps alio quo vfu profano.

Circa tertium punctum nihil difficultatis occurrat, & ideo breuiter dicendum est, hanc suspensionem ab officio simpliciter latam non impedire alia munia, seu vsum aliarum functionum, quæ ad alia officia spectant non Ecclesiastica, sed secularia. Ratio est clara ex dictis supra, circa definitionem huius censuræ, vbi etiam ostendimus esse propriam Clericorum, vt tales sunt. Nec refert, quod dicatur suspensio hæc simpliciter ab officio, quia intelligitur quasi per antonomasiam, vel iuxta subiectam materiam de officio Ecclesiastico, non vero de seculari, aut temporali: & ideo sic suspensus nec priuatur iurisdictione temporali, si illam habeat, neque officio iudicandi in seculari iudicio, si aliunde potestatem habeat illud exercendi, etiam si Clericus sit.

SECTIO III.

Quos effectus habeat suspensio ab officio, quæ non simpliciter, sed ex parte fertur.

¹
Regula generalis.



Onstat ex dictis in superioribus, sæpe ferri suspensionem ab officio cum aliqua determinatione, quæ denotat non totum officium, sed partem eius quoad vsum impediri. De hac ergo est generalis regula, ab ea tantum parte Ecclesiastici officij suspendere, quæ per verba (quæ per modum, seu determinationem adduntur) significatur, & ab omni superiore functione, quæ illam intrinsece supponit, non vero ab inferiori: neque à qualibet alia omnino diuersa, seu disparata. Hæc regula communis est, quæ declaratur, primo ex illo generali principio, quod effectus legis, vel sententiæ non excedit voluntatem legislatoris, seu iudicis, quatenus per verba exprimitur: quia voluntas inter homines non peratur, nisi per verba sufficienter intimeretur: sed verba, quibus fertur hæc suspensio, non significant, nisi definitam partem Ecclesiasticæ functionis ergo ab illa tantum suspendunt. Item quia si aliud quippiam talis suspensio operaretur, superflue adderetur illa determinatio: nec posset certa aliqua ratione effectus talis suspensionis definiri. Addimus vero exceptionem de functionibus per se subordinatis, vt sunt v.g. Diaconatus, & Sacerdotium: cuius ratio fundamentalis est, quia in his, quæ per se subordinata sunt, sublato priori, auferuntur reliqua: quamuis ergo suspensio determinet partem aliquam officij Ecclesiastici, si tamen illa pars per se, ac necessario supponitur ad aliam, vel cum vfu eius habet necessariam connexionem, consequenter etiam ab illa suspendit. Neque in hoc exceditur determinatio addita in verbis, seu forma suspensionis: quia licet non expresse, ac formaliter, virtute, & implicite in illis continetur, propter rationem dictam. Quæ locum non habet in his, quæ omnino disparata sunt, etiam si vnum, quod prohibetur, sit longe perfectius alio non expresse prohibito: non enim ob eam rem ministerium minus perfectum censetur virtute, aut implicite prohibitum in perfectiori, si non habeat cum illo aliquam necessariam connexionem, vel dependentiam.

Suspensio ab ordine quem effectum habeat.

²
Ex his sequitur primo, suspensum ab ordine sine alia limitatione, esse quidem suspensum ab omni vfu ordinis: non vero à iurisdictione, vel quacunque functione Ecclesiastica, quæ ob ordine per se non pendeat. Ratio prioris partis est eadem, quæ in sectione. i. tractata est: nam sicut se habet suspensio ab officio simpliciter ad totum officium, ita se habet suspensio ab ordine simpliciter ad totum ordinem: est ergo suspensio totalis, quoad illam determinationem. Vnde fit idem esse dicere *ab ordine*, vel *ab ordinibus*, vel *ab omnibus ordinibus*, vt à simili sumitur ex Glossa in cap. Eos, de tempore ordin. in 6. verbo *Ordinum*. Et ratio est, quia sicut in doctrinalibus, ita in his moralibus indefinita locutio æqui ualeat vniuersali, præsertim cum non possit habere alium legitimum sensum, cum de nullo particulari ordine rationabiliter possit intelligi. Adde, virtute ibi includi negationem, quæ distribuit terminum subsequentem. Secus vero esset, si diceretur, *à sacris ordinibus*: quia iuxta communem vsum soli maiores ordines sacrorum nomine veniunt, vt constat ex Concilio Tridentino, sess. 23. capite 11. de reformat. & ex capite 1. cum aliis, de tempore ordin. & ex communi modo loquendi Doctorem, & Ecclesiæ.

³
Ratio vero secundæ partis est, quæ in secunda sectione declarata est: nam sicut suspensio ab officio præseindit à beneficio: ita intra latitudinem officij suspensio ab ordine abstrahit à iurisdictione. Neque mihi placet, quod Syluester verbo, *Suspensio*, sequens Panormitanum in cap. *Cum dilectus*, de consuetudine ait, suspensum ab ordine per quandam consecutionem, suspensum esse à iurisdictione spirituali: quia hæc iurisdictione in ordine fundatur, cum Clericorum propria sit. Veruntamen non ita est: supra enim agentes de censuris in communi vidimus, ordinem non esse necessarium fundamentum iurisdictionis: sed esse, & exerceri posse in foro, contentioso ab eo, qui solam primam tonsuram habeat, quæ ordo Ecclesiasticus non est, neque in suspensione ab ordine comprehenditur, iuxta superius dicta. De potestate etiam absoluta Ecclesiæ posset aliquando iurisdictione per laicum exerceri: non ergo per se fundatur in ordine, neque vñs vnus per se requirit vsum alterius: ergo etiam per modum connexionis, in suspensione ab ordine præcise lata non comprehenditur suspensio à iurisdictione. Et confirmatur: nam suspensio v.g. ab ordine Episcopali, non propterea suspenditur à iurisdictione Episcopali: quia talis iurisdictione non fundatur præcise in ordine, vt patet: tum quia electus in Episcopum, statim ac confirmatus est, exercere potest ea, quæ sunt iurisdictionis, antequam consecratus sit, quamuis tunc exercere non possit ea, quæ sunt peculiaris sui ordinis, cap. *Transmissam*, de Electione: tum etiam quia Episcopalis iurisdictione interdum confertur Abbatibus, vel alijs, qui consecrationem Episcopalem non habent: sicut autem se habet iurisdictione talis ad talem ordinem, ita simpliciter iurisdictione spiritualis ad ordinem: non ergo ita per se fundatur in ordine, vt facta suspensione ab ordine, virtute fiat à iurisdictione. Confirmatur secundo: nam licet Ecclesia statuisset (quod non fecit) vt nullus posset iurisdictionem spirituales exercere, nisi qui aliquo ordine sacramentali esset insignitus, nihilominus verum non esset, suspensum ab ordine esse suspensum à iurisdictione fori contentiosi: quia etiam tunc actus talis iurisdictionis non esset actus ordinis, à quo solo quis suspenditur ex vi talis censuræ: imo neque ordo esset fundamentum per se requisitum quasi ex natura rei, seu institutione diuina: sed esset conditio necessaria ex constitutione Ecclesiæ: quæ conditio non deesset illi, qui esset ab ordine suspensus, quia suspensio non tollit or-

ordinem, sed impedit vsum eius. Si vero Ecclesia statuerit, ut nemo posset iurisdictionem spiritua- lem exercere, nisi qui haberet ordinem, & vsum ordi- nis expeditum; tunc recte inferretur, suspensionem ab ordine, esse etiam à spirituali iurisdictione sus- pensum: sed quia de facto Ecclesia hoc non statuit, ideo negamus vnam suspensionem in alia, virtute contineri.

Supererat vero difficultas de iurisdictione in foro poenitentiae; nam vsum eius pendet ab ordine: ergo suspensus ab ordine saltem est suspensus ab hac iurisdictione. Respondeo primum, non omnem vsum talis iurisdictionis pendere ab vfu ordinis: nam delegatio eius est illius, vsum & potest fieri sine vfu ordi- nis, imo & sine proprio ordine. Deinde concedo ordinem quoad illum actum abfoluendi sacra- mentaliter esse aliquo modo impeditum ratione il- lius censuræ: id tamen est speciale ratione connexio- nis in ipso actu, quæ in aliis non inuenitur. An vero illud impedimentum tantum sit, ut reddat ab- solutionem irritam, vel tantum illicitam, dicam in- fra tractando de Irregularitate: nam est eadem dif- ficultas.

Ex his obiter colligo, suspensum ab ordine non esse suspensum à iure eligendi: quia eligere suo mo- do ad iurisdictionem spectat; quia licet non sit om- nino propria iurisdictioni, est tamen administratio quadam & functio, quæ non conuenit ratione ordi- nis, sed beneficii, aut dignitatis, aut alterius cõdi- tionis similis. Vnde etiam Moniales possunt habere ius eligendi, cap. *Indemnitatis*, de Elect. in 6. cum tamen ordinis capaces non sint. Atque ita intelli- gendam censio sententiam Glossæ in cap. *Presbyterum*, verbo *Habere*, 28. dist. qua ait, suspensum ab of- ficio non esse suspensum à iure eligendi. intelligo e- nim ab officio ordinis; & ita textum illum interpre- tor, & ex materia subiecta, & ex antecedentibus, & consequentibus constat. Nam si esset suspensio ab officio absolute, illa etiam priuaret vfu eligendi, ut probant adducta in priori regula, & est communis sententia cum Glossa in cap. *Cum dilectus*, de consue. & in c. *Cum inter*, de Elect. & videri potest Decius in c. *Aposolice*, de excep. in 6.

Secundo sequitur ex dictis, suspensum ab aliquo ordine determinato, si in illa specie simpliciter sus- pendatur, ab omni actu illius ordinis suspensum, & consequenter ab vfu superioris ordinis, si illum ha- beat, non vero ab vfu inferioris: si vero non simpli- citer, sed cum aliqua determinatione in tali ordine suspendatur, solum ab actu in determinatione ex- presso suspendi. Omnes partes huius assertionis cū proportionem probatæ sunt in superioribus: solum oportet exemplis eam declarare, & ad proximam applicare. Contingit v. g. aliquem suspendi ab offi- cio Sacerdotis, ut in cap. *Literas*, de tempore ordin. Talis ergo suspensio cum respectu illius ordinis ab- soluta sit, ab omni actu proprio Sacerdotis impedit, qualis est celebrare, absolueret, seu confessiones au- dire, extremam vñctionem conferre, Baptismum- que solenniter per se, & quasi ex propria potestate ministrare, solennem aliquam benedictionem aut consecrationem efficere, & similia, quæ in discursu huius, & terrij tomj tractauimus, & disputatione 13. de excom. breuiter eas congesimus. Quod ergo ta- lis suspensio omnia hæc impedit, probatur: quia re- spectu huius ordinis est totalis, ut patet ex forma ei- us, & ex dictis sect. 1.

Atque hinc ulterius fieri videtur, hunc esse sus- pensum ab Episcopali ordine, seu consecratione, quæ est communis opinio. Ratio reddi solet, quia Episcopatus est nobilior Sacerdotio: & qui priuatur minoribus, etiam maioribus priuari censetur. Sed & hoc principium non est in vniuersum verum, & prius fundamentum licet sit verum, quatenus Epi- scopatus includit Sacerdotium: non tamen secun-

dum id, quod præcise addit, ut nunc suppono: & ita fieri deberet comparatio. Ratio ergo est, quia hi duo ordines sunt ita per se subordinati, ut vnus ab alio essentialiter pendeat: neque enim potest, non solum licite, verum etiam neque valide, aliquis con- secrari Episcopus, nisi sit Sacerdos, ut suppono: & ideo iuxta generalem regulam in principio positam, quia Sacerdotio suspenditur, consequenter à superi- ori ordine, id est Episcopatu suspenditur: quia in per se subordinatus, ablato eo, quod est quasi prin- cipium, & fundamentum alterius, reliquum etiam auferri necesse est. Dicit aliquis, subordinationem hic non inueniri inter actus ipsos, sed inter princi- pia. seu characteres: nam licet Episcopus non exerce- at actum consecrationis Corporis Christi, potest confirmare, aut alias benedictiones Episcopales ef- ficere, vel primam tonsuram, aut minores ordines dare: ergo ex vi suspensionis à minere Sacerdotali solum suspendetur ab illis actibus Episcopalibus, quos iuxta Ecclesiæ ritum extra Missæ sacrificium efficere non potest: quia in reliquis, cum per suspen- sionem non tollatur character, & alias, in his actibus non sit subordinatio: non est cur sus- pensio ab vno actu contineat suspensionem alte- rius.

Propter hæc aliqui concedunt, suspensionem mi- noris ordinis solum redundare in maiorem quoad illos actus, in quibus connexionem habent, non ve- ro in aliis; ut verbi gratia, qui suspenditur à Diaconatu, consequenter suspendi à Sacerdotio, quan- tum ad alteris ministerium, quia Missa non dicitur sine Euangelio: non tamen suspendi ab aliis actibus presbyterij, qui nullum vsum Diaconatus requi- runt. Estque hæc sententia probabilis. Tamen quod diximus, securius, & verius videtur: & ideo respon- detur, quamvis sit subordinatio inter ipsos chara- cteres, tamen illam non esse sine ordine ad actus, Quia character iuxta institutionem non est nisi pro- pter actum: & ideo, quamvis per suspensionem non auferatur character ipse in se, quia hoc non est in potestate Ecclesiæ: tamen in existimatione & vfu Ec- clesiæ talem personam habet, ac si pro tunc esset in- habilis ad talem actum: ac propterea secundum Ec- clesiæ æstimationem, & voluntatem, suspensus ab vfu inferioris ordinis, v. g. Sacerdotij est, consequenter suspensus ab vfu superioris ordinis, scilicet Epi- scopatus. Et confirmatur simul, & ampliatur, nam suspensus ab ordine inferiore consequenter est sus- pensus, seu prohibitus ne superioris ordinis possit recipere, si illum non habet: ergo est etiam suspen- sus ab vfu eius, si illum habet. Est enim hæc gene- ralis regula Doctorum, censuram, quæ impedit susceptionem alicuius ordinis nondum habiti, à fortiori impedire vsum eius iam habiti, quia, si im- pedit radicem, & fructus à fortiori impedit, quando non potest radicem euellere. Antecedens autem pa- tet ex dictis section. præced. & explicatur in hunc modum, quia character inferioris ordinis est veluti facultas moralis ad suscipiendum ordinem superi- orem: vnde receptio superioris ordinis æstimari & dici potest veluti vsum quidam characteris inferioris ordinis, qui licet videatur magis passiuus, quam actiuus, tamen inter functiones clericales numera- ri potest: qui ergo suspensus est ab vfu ordinis inferioris, consequenter est suspensus à receptione ordinis superioris. Estque hæc communis senten- tia, ut iam referam. Contra quam quidam obiciunt, quia hinc fieri potest, ut poena excedat delictum, si- eri enim potest, ut sit dignum suspensione vnius ordi- nis, & non plurium. Respondetur hoc pertinere ad prudentiam iudicis, scilicet, ut quando delictum huiusmodi est, non suspendat ab inferiori ordine, sed à superiori, nam suspensio ab inferiori propter concomitantia quæ includit, grauior poena est: quod si etiam suspensio superioris ordinis videatur exce-

Obiectio

Suspensus à minori ordi- ne quomodo sit à maiori.

Obiectio occurrunt.

Dispositio XXVI. De Suspensione ab officio quos effectus, &c.

de re grauitatem delicti, suspendat ab vno actu, & non à toto ordine, vel ad tempus breue, & ita semper fieri poterit commensuratio.

At vero è contrario, qui sic suspensus est à Sacerdotali ordine, non propterea est suspensus ab ordine superiori, vñ inferiorum ordinum. Ratio est, quia in foriori, non suspensus talis suspensionis neque expresse, ac formaliter continentur inferiores ordines, vt supponimus, neque etiam virtute, aut connexion aliqua: quia licet superior ordo pendeat ab inferiori, non tamen è contrario: potest enim quis habere inferiorem ordinem, & vñ eius, quamuis superioris ordinis, etiam si à superiore prohibitus sit. Et confirmatur, quia alias suspensio talis esset vniuersalis ab omnibus ordinibus, quia, si ab aliquo ordine inferiori suspenderet, pari ratione suspenderet ab omnibus, quia non est maior ratio de vno quam de aliis: cum ergo supponat suspendere à superioribus ordinibus, plane sequitur talem suspensionem fieri vniuersalem: consequens autem est nimia ampliatio pœnæ, quæ potius restringi postulat, tum etiam, quia alias superflua esset illa determinatio, quæ ponitur in tali suspensione, cum dicitur, Ab ordine Sacerdotali, quia nihil operatur, cum eundem effectum habere dicatur, ac si dictum esset, ab omnibus ordinibus: Denique etiam in rebus naturalibus ex negatione, vel carentia maioris potentie, vel intensioris gradus, seu actionis, non recte inferitur priuatio minoris, in moralibus etiam, qui priuatur maiori facultate, non statim priuatur minore, nisi sint connexæ: idem ergo in presenti dicendum est. Sic igitur suspensus ab ordine Sacerdotali, Evangelium solenniter cantare, & à fortiori reliqua ministeria inferiora facere poterit licite, & absque vlla pœna: idemque est cum proportionem in cæteris ordinibus, vt Syluest. verb. *Suspensio*, nu. 5. Nauar. ca. 27. n. 160. & sequentibus notant.

Syluest.
Nauar.

Vltima pars secundæ illationis erat de suspensione partiali ab aliquo ordine. Exemplumque est, si Sacerdos suspendatur ab officio celebrandi, seu (quod idem est) ab altari, vt sæpe fit: sic enim suspensus, excepto munere sacrificandi, alios actus Sacerdotalis officij licite exercere potest, argument. text. in cap. Significauit, de corpore vitiati. vbi Abbas, & Doctores notant. Difficultas vero circa hanc partem est, an licet considerata tali forma suspensionis verum habeat regula posita, nihilominus propter connexionem actuum contingat, suspensionem, quæ expresse fit ab vno actu tantum, alios comprehendere. Dicunt enim frequenter Iurisperiti, suspensionem ab vno actu inferiori, consequenter suspensionem esse ab actibus superioribus: vnde inferunt, Episcopum suspensionem à minoribus ordinibus conferendis, esse suspensionem à maioribus: & suspensionem à maioribus conferendis, suspensionem esse à consecratione Episcopi: è contrario vero (aiunt) suspensionem à superiori actu, non propterea esse suspensionem ab inferiori. Fundamentum eorum est, quia in his facultatibus ex negatione potentie circa inferiorem effectum, recte sequitur negatio potentie ad superiorem, non vero è conuerso: ergo cui auferitur moralis facultas circa superiorem. Item quia in moralibus, cui honor inferior interdicitur, maioris quoque interdici censetur, vt dicitur in l. Relegatorum, §. final. ff. de interdici. nam qui indignus est inferiori honore, indignior erit superiori. Qui indignus, ff. de Senatorib. ergo idem est in presenti arg. c. Cum illorum, de sent. excom. in illis verbis: Cum maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Atque hæc fuit opinio Glossæ. in c. Eos, de temp. ord. in 6. verb. O. dimittit. Abb. in c. Vel non est compos. & Hostiens. in c. Cum dilectus, de temp. ord. quos. Syluest. & alij Summistæ verb. *Suspensio*, secuti sunt.

Glossa.
Abbas.
Hostiens.
Syluest.

Hæc vero sententia difficultatem patitur, tam

A in regula generali, quam ponit, quam in eius fundamento. Primum patet exemplo de clerico ab altari suspenso, qui non propterea ab aliis functionibus Sacerdotalibus suspensus habetur, & tamen altaris ministerium omnium Sacerdotalium nobilissimum est: cur ergo, qui illo indicatur indignus, non etiam iudicatur indignus cæteris? Aliud est ex cap. vlt. de temp. ord. in 8. vbi Episcopus propter quoddam delictum à collatione clericalis tonsuræ suspenditur Episcopo collatio ordinum superiorum. Responderi potest in illo textu addi particulam illam exclusiuam, dumtaxat: ratione cuius illa suspensio non extenditur ad superiora. Sed contra hoc est imprimis quod supra dixi, in his formis perinde esse præscindere, aut tacere, quod expresse excludere, vel negare: & ideo dicebamus idem esse dicere ab officio, vel tantum ab officio: sic ergo si suspensio, tantum à collatione tonsuræ, excludit superiora, ne ab eis fiat suspensio, etiam præcisâ suspensione à collatione tonsuræ idem operabitur. Et deinde videtur repugnantia, quod præcisâ suspensione à collatione tonsuræ includat suspensionem superiorum, & tamen quod per additionem exclusiuæ excludatur superiora: nam vt Dialectici aiunt, dictio exclusiua non excludit concomitantia: & ideo, si quis suspenderetur sub hac forma, à Diaconatu dumtaxat, intelligeretur excludi inferiores ordines, non tamen superiores, quia per connexionem, & consecutionem continentur in illa: ergo è conuerso, si dictio exclusiua in presenti habet vim excludendi superiora, signum est non includi etiam per concomitantiam inferiori. Tertium exemplum sumi potest ex concessis, nam qui suspenditur à munere, v. g. confirmandi, non propterea suspenditur à munere consecrandi Corpus Domini: cum tamen hoc ministerium longe excellentius sit.

Præterea, ratio in qua fundatur illa sententia, & in principiis philosophicis, & in moralibus videtur valde infirma. Nam in Philosophia verum non est, causam, quæ caret virtute ad minorem effectum, carere etiam virtute ad perfectiorem: angelus enim caret virtute sentiendi, non tamen intelligendi: & idem homo caret interdum firmitate memoriæ, & non perspicacia intelligendi, quæ maior est. Similiter in moralibus aliquis interdum priuatur pecuniis, non tamen honore, quod maius bonum est; & qui habet plura beneficia, interdum priuatur inferiori, & non maiori. Sic ergo in presenti, cum hæc suspensio fit quædam pœna, poterit quis priuari aliquo actu minus perfecto, quia illa est sufficiens pœna delicti: & non priuari perfectiori actu. Non est ergo solidum illud principium, indignus est maioribus, qui minoribus iudicatur indignus, tum quia, quando hæc indignitas solum consistit in quadam culpa, fieri potest, vt propter illam fiat aliquis dignus qui priuetur minori bono, non vero maiori: tum etiam, quia, licet comparando vnum actum ad alium sit minus perfectus, tamen libertas, & facultas exercendi vtrumque maior est, quam circa vnum tantum etiam perfectiorem. Per suspensionem autem actus minus perfecti minuitur illa potestas efficiendi illum actum: non ergo recte inde inferitur suspendi quoad vtrumque actum; quia non demeretur minorem actum absolute spectatū, sed solum comparatione vtriusque simul. Atque ita non recte applicantur iura in contrarium citata pro illo principio, Indignus minori honore, à fortiori indignus est maiore: illa enim procedunt, quando absolute, & sine villo alio respectu aliquis est indignus minori honore etiam per se, & præcise sumpto: quod in presenti non est necessarium.

Accedit tandem, quod exempla, seu corollaria, quæ contraria sententia proponit, nullo iure fundata sunt.

funt, nec per se se videntur rationi consentanea. Cur enim, si Episcopus suspenditur, ne subdiaconatum, v.g. conferat, consequenter priuatus censetur debet, ne Diaconos, aut Secerdotes ordinet? cum hi omnes actus ab eadem potestate procedant, quæ in se integra semper manet, & aliqui exercitum, vel collationem vnus non pendeat per se ab alio, sed possit maior ordo conferri habenti iam minorem absque collatione minoris alteri facta. Et aliunde contingere etiam possit, vt culpa, propter quam talis suspensio imponitur, sit digna priuatione minoris actus, & non maioris; vt satis declaratum est: ideoque possit etiam contingere, vel potius debeat, vt iudex, qui talem penam imposuit, solum de illo actu priuare intendit, quem expressit. Necesse eadem ratio de suspensione ab usu, vel receptione talium ordinum, & collatione eorum: nam ordines diuersi respectu eiusdem subiecti habent ordinem per se in suo esse, & consequenter etiam in usu, quia maior supponit minorem: & ideo necesse est, vt qui suspenditur ne minorem suscipiat, a fortiori suspendatur, ne ad maiora quasi per saltu transeat. Et similiter usus ordinis supponit esse talis ordinis, & ideo, qui a suscipiendo aliquo ordine, quem non habet suspenditur, consequenter suspenditur ab usu eius, si iam illum habet. Ac denique susceptio superioris ordinis non fit sine aliquo usu inferioris, & ideo qui ab inferiori ordine suspenditur, consequenter impeditur a susceptione vterioris ordinis, si illum non habet, vel ab usu eius, si iam illum habet. At vero quoad collationem, absolute loquendo, non inuenitur hæc collatio seu subordinatio inter ordines: nam licet respectu eiusdem recipientis nemo possit iute illi conferre superiorem ordinem, nisi vel prius ei conferat, vel saltem supponat inferiorem, tamen absolute, & respectu conferentis non oportet, vt, si maiorem ordinem confert, det etiam minorem, vt ostensum est. Aliunde vero actiua collatio, omnium ordinum ab eadem indiuisibili, & quasi eminenti potestate procedit, quæ, dum vnum actum exercet, non efficit alium, neque de conuerso: & ideo, licet impediatur, ne vnum actum illorum exerceat siue maiorem, siue minorem, non sequitur simul suspensio ne exerceat alium. Hinc denique in iure, quando Episcopus a collatione duorum vel trium ordinum suspenditur, non vnus tantum fit mentio, sed omnium, vt in ca. *Literas*, de temp. ord. *Diacony*, & *Presbyterij*. Si autem expresse inferiori intelligeretur etiam facta suspensio a collatione superioris, non oporteret illum ex primere.

Propter has rationes censeo, hanc sententiam communem non posse iure procedere, nisi solum quando inter ipsos actus est subordinatio, ita vt perfectior sine minori non possit legitime, & secundum Ecclesiæ ritum exerceri. Quod præter omnia dicta optime confirmatur ex cap. *Ex litteris*, de Excessib. Prælat. vbi circa finem sic dicitur, *Ipsum indignum altaris ministerio reputamus*; subditur, *Cum igitur Pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri, mandamus, quatenus, vt Episcopus cui cedat, moneatis eundem, vbi non ex dignitate, aut perfectione, sed ex connexionem Pontifex argumentatur. Et rationes factæ in re morali plane conuincunt: maxime, cum penæ restringendæ potius sint, quam ampliandæ, nisi ratio vrgens, aut alia iuris principia aliud facere, compellant; quod in præsentis dici non potest. Aliqui vero limitant hanc sententiam, dicentes determinationem huius suspensionis ex proportionem ad delictum esse sumendam, quando in ea punitur in quo deliquit: vt verbi gratia, si Episcopus deliquit in ministratiōe Diaconatus, & propterea suspenditur a collatione ordinis, vel Diaconatus; tunc intelligi præcise ab illo ordine conferendo suspendi: secus vero esse, si vel non seruatur illa proportio inter penam, & culpam, sed sunt quasi disparatæ omnino,*

vt si propter adulterium, verbi gratia suspendatur; tunc procedere communem sententiam, quod suspensus ab inferiori ordine, est etiam suspensus a superiore.

Sed hæc distinctio nec satis fundata est quoad singula membra, nec quoad concordiam eorum inter se. Probatur quia regula illa posita in priori membro incertissima est: interdum enim inuenimus in iure suspendi Episcopum tantum in eo actu, quem male exercuit, vt in prima consuetudine, capit. vltim. de Temper. ordinat. in sexto, in Diaconatu & Presbyterio in cap. *Literas*, de Tempor. ordinat. aliquando vero propter vnum ordinem male collatum, scilicet Diaconatus suspenditur a collatione omnium ordinum in cap. *vel non est compos*, eodem titulo, quod notauit Glossa in cap. *Eos*, de Tempor. ordin. verb. in 6. *Ordinum*, addens, *Quod si Episcopus voluisset, eum tantum illo, quem consulerit, priuare expressisset: censetur igitur non esse satis, quod delictum fuerit circa vnum ordinem tantum, vt suspensio censetur esse ab illo tantum, nisi hoc exprimat: satis autem exprimitur, non solum quando expresse additur exclusiua, vt in dicto capite vltimo, sed etiam, quando præcise talis ordo exprimitur, vt in dicto cap. *Literas*, quæ iura ad hoc ipsum citat eadem Glossa: vnde videtur idem nobiscum sentire. Si autem verba sententiæ generaliora sint, non determinabuntur ex solo delicto, tum propter ea, quæ lata supra diximus in simili puncto; tum etiam, quia, licet materia delicti fuerit vnus tantum ordo, potest ex circumstantiis delictum esse tam graue, vt generalior suspensionem mereatur, patet ex dicto capit. *Vel non est compos*, & à simili ex cap. *Qui & diuini*, duodecimo, quæstione secunda. Vbi quidam solum qui sacram communionem quibuldam excommunicatis ministravit, ab officio portinus Ecclesiastico pellitur: igitur primum illud membrum, & regula in illo contenta nullo fundata est in iure. Contra secundum autem membrum procedunt omnia, quæ contra priorem sententiam dicta sunt; nam licet delictum sit (vt ita dicam) disparatum, si iudex definiuit penam eius ad suspensionem collationis vnus ordinis, non est cur ad plura extendatur, neque ad plures actus, nisi cum illo fuerint connexi. Hæc ergo sola regula potest in hac materia tanquam certa designare, vt verbis sententiæ, vel legis standum sit. solumque illum actum ordinis prohibeat, qui in determinatione suspensionis exprimitur, vel qui cum eo fuerit necessario connexus, vt satis explicatum est. Et hanc regulam significauit Abbas in cap. *Cum Abbas dilectus*, de Consuetudine, nu. 20. & Nauar. in Sum. c. *Nauar.* 27. num. 160.*

Suspensio à iurisdictione, quem effectum habeat.

Tertio principaliter possumus ex dictis inferre quem effectum habeat suspensio à iurisdictione, ne, quando ad illam determinatur. Aut enim suspensio est à iurisdictione simpliciter, aut à determinato actu, seu parte iurisdictionis. Si fiat priori modo; tunc suspensio est à tota spiritali iurisdictione, argumento eorum quæ hætenus diximus, quia dictio illa indefinita ob suam indifferentiam totum comprehendit, & æquiualeat vniuersali. Qui autem sint actus huius iurisdictionis, iam in superioribus dictum est, & videri potest Glossa in cap. *Transmissam*, de Election. Per hanc autem suspensionem non prohibentur actus ordinis, qui iurisdictionem non requirunt, propter easdem rationes, quibus diximus suspensionem ab ordine non includere suspensionem à iurisdictione: nam sicut iurdictio non supponit necessario ordinem; ita etiam ordo non semper requirit iurisdictionem ad suos actus efficiendos. Atque ita notauit citata Glossa in dicto capite, *Transmissam*, & sumitur ex textu ibi, & ex capit. *cul*.

*Limitatio
reli. i. 109.*

Glossa

Regula generalis

*Abbas.
Nauar.*

*De suspensio
ne à iurisdictione
simpliciter*

Nauarr.
Abbas.
Per suspensio-
nem à iurisdic-
tione suspen-
ditur etiam quis
ab actu ordi-
nis ad illam
requisito.

tul. Aqua, de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Notant Nauarrus in Summa capitul. 27. num. 160. Abbas in cap. Cum dilectus, de Consecr. num. 20. Solum aduerto, hoc simpliciter procedere in actionibus ordinis, qui nullâ iurisdictionem requirunt, ut sacrum facere, &c. Alij vero sunt actus ordinis, qui requirunt iurisdictionem vel ut valide, vel ut licite fiant, & ab his manet quis prohibitus per talem suspensionem per quandam consecutionem, non tamen eodem modo, sed cum proportionem. Vbi enim iurisdicção est de substantia actus, ut est in sola absolute sacramentali, actus erit nullus si fiat cum tali suspensione, quia deest potestas necessaria ad valorem eius: Vbi autem fuerit iurisdicção de iustitia actus (ut sic dicam) erit prohibitus ne licite fiat, factus tamen validus erit. Sic peccabit Parochus suspendus quolibet sacramenta ministrando suis omnibus ut ordinarius pastor, & Episcopus suspendus conferendo ordines suis subditis, quia non solum potestate ordinis, sed etiâ iurisdictionis vitur: sicut peccaret dando alteri Episcopo licentiam ad ordinandum in suo Episcopatu, vel dando subdito licentiam ut ab alio ordinetur, quia hi sunt actus iurisdictionis, nam multo magis exercet iurisdictionem per se ordinando.

At vero, quando suspensio non fertur simpliciter, sed cum determinatione certi actus, seu partis iurisdictionis, ut à collatione beneficiorum capit. Graus, de Prebendis, cap. vñico, Ne sede vacante, in 6. Clement. 1. §. Si quis, de statu Monachi à confirmatione Episcopi cap. 2. de Translat. Episcop. ca. Provide, de Elect. in 6. & sæpe alias, ut videri potest Glossa in Clement. Cupientes, de pœnis. Tunc applicanda, & seruanda est regula posita, ut solum ab eo actu, seu parte iurisdictionis aliquis suspensus esse intelligatur, qui per verba determinantia suspensionem significatur, nisi fortasse habeat cum alio actu necessariam connexionem, ita ut fine illo fieri non possit, nam tunc ob eam causam etiâ alius actus in tali suspensione comprehenditur. Quod eadem ratione in iurisdictione ac in ordine procedit.

Ex dictis sequitur sacerdotem sic suspensum partiali suspensione grauitur peccare functionem illam spirituales exercendo, à qua suspensus est, non vero aliam. Probat prior pars, quia hæc etiam suspensio includit prohibitionem per legem seu præceptum Ecclesiæ, cuius materia ex suo genere grauis est, ergo ex genere suo illa transgressio est mortale peccatum; & quoad hoc eadem est ratio de suspensione totali & partiali: cuius materia sit sufficiens grauis. Ratio vero alterius partis est, quia reliqui actus non contenti in tali suspensione non sunt prohibiti, ergo non est unde sit malum illos exercere; nam suspensio circa alios actus, cum non sit culpa, sed pœna, non facit indignum vel inhabilem ad alios actus, quantumuis sacros, exercendos, qui non sunt in ipsa suspensione comprehensi. An vero illi priores actus, qui contra suspensionem illiciti sunt, validi sint, declaratum iam est, partim in proximè dictis, partim ex dictis de excommunicatione maiori.

Qua pœna dictæ culpæ respondeat.

De pœna vero iure imposita propter hoc peccatum fungendi officio, à quo quis suspensus est, idem proportionaliter, seu respectue dicendum hic est, quod de suspensione totali ab officio diximus. Itaque, si suspensio sit à iurisdictione tantum, vel à quolibet actu iurisdictionis, nulla irregularitas, vel alia specialis pœna est in iure imposita propter eius transgressionem, sed puniri debet arbitrio iudicis, ut in aliis dictum est. Si vero suspensio sit ab ordine sine sit à toto ordine: siue ab vno, vel alio, siue ab v-

no alicuius ordinis, irregularitas incurritur ordinem ex officio exercendo contra talem suspensionem respectue. Ratio est, quia iura, quæ de hac irregularitate loquuntur, non tantum agunt de suspensione totali ab officio, vel ab ordine: sed etiam de partiali, nec solum de simpliciter lata, sed etiam de ea, quæ fertur ad certum tempus. Ita sumitur ex cap. Is cui, de Sententia excommuni. Vbi ex eo, quod alicui est interdicta celebratio in Ecclesia, inferitur fieri irregularem in ea celebrando: idem ergo est in omnibus similibus. Item quando aliquis est suspensus à toto officio, ut irregularitatem incurrat, sufficit vnum actum ordinis exercere iuxta ca. 1. de Re iudic. in 6. & cap. 1. de Sententia excommunicationis in 6. vbi Glossa & Doctores id notant: sufficit ergo violario talis suspensionis in aliqua parte eius: ergo licet suspensio sit imposita in sola illa parte, si in illa violetur, id satis est ad talem irregularitatem incurrendam. Et ita Doctores agentes de hac irregularitate, nihil distinguunt inter suspensionem totalem, & partialem.

Præter hanc verò pœnam nullam aliam inuenio propter hoc delictum ipso iure impositam. Solum in cap. 2. 55. distinct. præcipitur, ut qui suspensus ab altari Missas fecerit. Ecclesie communionem priuetur, & ab omnium fratrum communione nouerit se alienum. Vbi videtur etiam imponi excommunicatio. Sed in primis illa pœna non est vsu recepta in vniuersa Ecclesia, & canon ille est Concilij Arelat. provincialis. Deinde dici potest, illa verba, communionem priuetur, non esse censuræ latæ, sed ferendæ, & iuxta illa esse intelligenda sequentia. Quod si dicatur, hæc verba non esse in originali, sed solum hæc, Ab omnium fratrum charitate nouerit se alienum. Responderi potest, per illa solum exaggerari grauitatem delicti, non nouam censuram imponi. At obstant illa verba, ut in ueritatem Ecclesiasticæ discipline. Propter quæ Glossa, dicit, ibi imponi aliam pœnam: quia si celebrauerit post excommunicationem, deponetur. Vbi & excommunicationem admittit iuxta lectionem Gratiani, & addit depositionem, qui nomine fratrum intelligit Coepiscopos, à quorum gremio excluditur qui deponitur, per quam depositionem aliqui irregularitatem intelligunt. Sed hoc totum incertum est, & cōuerso certum est, aliam pœnam saltem ipso facto non esse in vsu.

DISPUTATIO XXVII.

De effectibus suspensionis à beneficio.

Vanquam hæc species suspensionis diuersa sit à præcedenti, tamen forma & modus illam ferendi eiusdem rationis est: & id eo applicando cum proportionem principia posita in disputatione præcedenti, facillimum erit intelligere, quæ ad effectus huius suspensionis pertinent. Dupliciter igitur, hæc suspensio, sicut præcedens, ferri potest scilicet vel simpliciter, vel cum determinatione alicuius beneficii, vel partis eius. De vtraque ergo forma sigillatim dicemus, & explicabimus varios modos, quibus de his speciebus suspensionis iura loquuntur, in quorum intelligentia præcipua pars huius doctrinæ posita est.